UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Vincentii Brvni, Societatis Iesv, Meditationes, De Præcipvis Mysteriis Vitæ & Passionis D. N. Iesv Christi

Cum Veteris Testamenti Figuris, & Prophetijs, varijsque Documentis ex quoque Euangelio depromptis, Nunc ex Italico in Latinum translata

Meditationes in Passionem Et Resvrrectionem D. N. Iesv Christi

Bruno, Vincenzo

Coloniae Agr., 1599

VD16 ZV 2606

urn:nbn:de:hbz:466:1-59870

Visual Library



Th. 4474.

R. P.

VINCENTII BRVNI, SOCIETATIS IESV,

MEDITATIONES IN PASSIONEM ET RESVRRECTIONEM D. N. IESV CHRISTI,

Cum veteris Testamenti Figuris, & Prophetijs, varijsq́, Documentis ex quoq; Euangelio depromptis,

Nunc ex Italico in Latinum translatæ.

PARS TERTIA.

Soc. IESV Paderborn.



COLONIAE AGRIPPINAE,
In Officina Birckmannica, sumptibus Arnoldi Mylij. M. D. XCIX.
Cum gratia & priuil. Sac. Cæsareæ Maiest.

SERENISSIMO ET REVERENDISSIMO PRINCIPI AC Domino, D. FERDINANDO, Archiepiscopatus Colonienſis, & Præpoſituræ Bergteſgadenſis Coadiutori, & Adminiſtratori, Comiti Palatino Rheni, vtriusque Bauariæ Duci, &c. Domino ſuo clementiſsimo Henricus Putzius, Societatis Ieſu.

S. P. D.

PIAS pij animi, de Chriſto patiente, exercitationes, pius vtiq; è Societate noſtra Sacerdos, R. P. Bruno, Italis ſuis conſcripſit. Eas Latinè loquentes reddidit germanus meus Matthias Putzius, Feliciter, an ſecus nullus iudico. Luce donare eaſdem cùm cogitaret; operi ſacro ſacrum quærebat Patronum, cuius præſidio viueret, S. V. multis

de cauſis ſibi delegit. Priuatis hæ acceſsêre; tum, quod libello pio, Antiſtes gentilitia, patriaque Bauaricæ ſtirpis pietate nobilis, adſciſcendus omnino videretur; tum quod S. V. his, & id genus commentationibus delectari intelligeret. At etenim huic animi decreto interceſsit Tribunus, nimium quantum violentus, MORS, non improuiſa, ſed, heu, immatura. Succedendum ergo mihi fuit in labores, mei & ſanguinis, & religionis communione fratris, nō tam hæreditario iure, quam Superiorum meorum voluntate; & in lucem producendus partus poſthumus. Eum ecce nunc profero, & S. V. fidei tutelęque; committo. Facti huius cauſſæ mihi multæ, hę principes; quod frater meus ita decreuit; quod Superiores noſtri ita probârunt. Vale Ser. Princeps, Coloniæ ê Collegio Societatis Ieſu.

PROOE-

PROOEMIVM

MEDITATIONVM AVTHORIS IN DOMINICAM Passionem

DEVS iubens sibi à Moyse tabernaculum exædificari, illius formam in mente eidem exhibuit contemplandam, dicens: Inspice, & fac secũdum exemplar, quod tibi in monte monstratum est. *Quæ verba non soli Moysi, sed & nobis omnibus dicta esse voluit, à quibus sibi spirituale tabernaculum, in quo per gratiam habitet, fabricari desiderat, Quod tabernaculum tanto gratius diuinæ Maiestati futurum est, quanto conformius erit exem-*

plari illi, quod nobis in vnigenito Filio suo Christo crucifixo imitandum proposuit, supra quem, tanquam supra firmissimam petram ruinosum animæ nostræ ædificium fundare debemus, sicut exhortatur

1. Pet. 2. *S. Petrus:* Ad quem accedentes lapidem viuum, & ipsi tanquam lapides viui superædificamini domus spiritualis. *Nã ad Christum, tãquam viuũ exemplar omnes vitæ nostræ actiones cõformare debemus: sicut suos discipulos ipse monet, dicens:*

Ioan. 13. Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum feci vobis, & vos faciatis. *Qua in re illud primò considerandum est, quod Deus ad Moysen dixit, nõ sufficere vt intueamur, id est mẽ-*

te

te vitam & actiones Christi contemplemur, sed & opere imitemur, quodidem sponsus ad sponsam suam in Canticis plenis amore vocibus aiebat: Po- *Cant. 1.*
ne me, vt signaculum super cor tuum. *Vbi Christus postquam sponsæ Ecclesiæ suæ, extasin illam caritatis, quam in passione & morte sua demõstrasset, in signum gratitudinis & compensationem tanti amoris memoria meritò retineri voluit, iuxta illud Sapientis:* Gratiam fideiussoris tui *Eccl. 29.*
ne obliuiscaris; dedit enim pro te animam suam. *Iste est fasciculus myrrhæ, quem inter vbera sua sponsa commorari desiderat; instruens animã fidelem, Christo per fidem desponsatam vt continuò men-*

te & memoria reuoluat, pio affectu assiduè considerando & meditando angustias, amaritudines Saluatoris sui, paupertatem, infantiam, fatigationem itinerum, labores prædicationis, vigilias in assiduis orationibus, tentationibus, in ieiunijs, in lachrymis compassionis, persecutiones & insidias suorum inimicorum, pericula inter falsos fratres, vt etiam accusationes, infamias, iniurias, contemptus, sputa, alapas, irrisiones, percussiones, spinas, clauos. Adiungendo quoq; huius fasciculi ramis myrrham, qua potatus est in mõte, fel etiam quod in Cruce oblatum ei fuit. Ex harum rerum quas Christus nostri caussa perpessus est memoria & consideratione,

tione, erumpet, procul dubio flāma amoris, & in nobis ignem illū diuinum succendet, de quo Propheta: In meditatione mea exardescet ignis: *ex quo amore liberatoris & benefactoris nostri omnes ad eum redamandū inflammati rapiemur. Hoc ipsum verò est, quòd à nobis in primis desiderat, vt cōsiderantes qualiter nos amauerit, seq; pro nobis tradiderit, ipsum vicissim amemus, & instar signaculi in corde nostro impressi circumferamus. Verū quoniam, vt inquit D. Gregorius, Amor Dei ociosus non est, sed magna operatur si est: si verò operari recusat, amor non est: quod Saluator ad suos discipulos dixerat:* Si diligitis me, mandata mea seruate: *Psal. 38.* *Ioan. 14.*

proinde sponsus noster minimè contentus est sola memoria & consideratione suorum beneficiorum ad amorem in nobis excitandum, sed vult præterea, vt instar signaculi in corde & brachijs nostris, imò ipsis impressum manibus gestemus. Quod vtiq; facimus, cùm omnes actiones nostras, mores, conuersationem q; vitæ Christi conformamus, quando in quauis re exempla illius, quæ nobis dedit, scilicet humilitatis, caritatis, obedientiæ, patientiæ, mansuetudinis cũ cæteris omnibus virtutibus, imitari conamur. Ideo namque venit in mundum, & homo factus est, vt, quoniam difficile erat nobis Deum in illis diuinis perfectionibus sequi, saltem vt hominem

minem imitari conaremur in operibus humanis. Vitam namque Christi dũ imitamur, Christũ ipsum induimus, sicut Apostolus consulit: Induimini Dominũ Iesum Christum. Rom. 13.

Igitur ad consequendos hos duos fines, in quibus vniuersa Christiana perfectio sita est, amorem, inquam, Christi, ac eiusdem imitationem, quamuis omnia vitæ ipsius sancta mysteria nos magnopere incitare possint, efficaciora tamen illa exempla deprehenduntur ad corda nostra diuino ipsius amore incendenda, ad voluntatem efficacius mouendam, ad desideria animi nostri incitanda, quæ in hac sacra eius passione resplendent. Nam etsi in toto decursu vitæ Saluator noster ma-

magna & varia virtutum ornamenta ostenderit, illa tamen quæ in vltimo vitæ termino exhibuit, insigniora ad vitæ nostræ perfectionem docēdam demonstrare voluit. Non aliter quàm igni accidit, qui extinguendus naturæ suæ vim aliquam vehementiorem exerere velle videtur. Cùm igitur tātæ efficacitatis sit in hac parte, & ad spiritualem progressum in primis necessaria vita Saluatoris nostri, quamuis plures quidem magna pietate & sapientia viri magno cum fructu animorū eam scribendo assequi conati sint, nihilominus & egomet (licet ex postremis infimum me esse confitear, & similem ijs qui post messores, spicas, quæ manus illorum

lorum effugerunt, colligunt) pro meo deuotionis affectu passionis sacra mysteria persequi volui, oculos intētos habens ad illud exēplar, quod Moysi Dominus in monte ostendit. Atque ita vnumquodque mysteriū in tres partes diuisum exhibere conatus sum. Videlicet vt in prima exemplar quod inspicere ac imitari debemus, in quo actio Christi cōsistit, nempe historia Euāgelica Prophetijs, & Figuris Veteris legis cōfirmata proponatur: In altera declaretur, qua ratione exemplar istud inspiciēdum sit, quod consistit in aliquibus cōsiderationibus, quæ circa propositam Euangelij sententiam adhibētur. Vbi conatus sum varijs modis non tam intellectum, quàm affe-

affectum instruere, quo voluntas & cor in Christi amorē moueatur: Intertia & vltima parte demonstretur, qua ratione idem exemplar reipsa imitari debeamus, adhibitis Documentis præcipuis ex Euangelio huic instituto seruientibus pro nostra informatione, vt inde vitam nostram Christo Domino conformem agere, & mores actionesqúe omnes dirigere discamus. Nā qui non ambulat sicut Christus noster ambulauit, non manet reuera in Christo, nec ex membris eius est. Nam vt dicit S. Ioannes:

1. Ioan. 2.

Qui dicit se in Christo manere, debet quomodo ille ambulauit, & ipse ambulare.

MEDI-


INRI

MEDITATIO PRIMA:

DE INGRESSV CHRISTI D. N. *in Hieruſalem.*

EVANGELIVM.

CVM appropinquaſſent Ieroſolymis, & veniſſent Bethphage ad mõtem Oliueti, tunc IESVS miſit duos diſcipulos, dicens eis: Ite in caſtellum, quod contra vos eſt, & ſtatim inuenietis aſinam alligatam, & pullum cum ea: ſoluite & adducite mihi: & ſi quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet: & cõfeſtim dimittet eos. Hoc autem factum eſt, vt adimpleretur quod dictum eſt per Prophetam, dicentem: Dicite filiæ Sion; Ecce Rex tuus

Matth. 21. Marc. 11. Luc. 19, Ioan. 12.

tuus venit tibi mauſuetus, ſedens ſuper aſinam, & pullum filiũ ſubiugalis. Euntes autem Diſcipuli, fecerunt ſicut præcepit illis IESVS. Et adduxerunt aſinam & pullum, & impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua, & eum deſuper ſedere fecerunt. Plurima autem turba ſtrauerunt veſtimenta ſua in via: Alij autem cædebant ramos de arboribus, & ſternebant in via. Turbæ autem quæ præcedebant, & quæ ſequebantur, clamabant, dicentes: Oſanna filio Dauid: Benedictus qui venit in nomine Domine Rex Iſrael: pax in cælo, & gloria in excelſis.

FIGVRAE.

Exod. 12. *PRAECEPIT Dominus filijs Iſraël, vt agnũ, qui immolãdus eſſet die Paſchæ, quinque diebus ante, domum ſuã adducerent: ibiq; ſeruarent vſque ad diem ſacrificij.*

PROPHETIÆ.

Zach. 9. *EXVLTA ſatis filia Sion, iubila filia Hieruſalẽ. Ecce Rex tuus venit tibi iuſtus,*

iustus, & saluator: ipse pauper, ascendēs super asinam & pullum filium asinæ.

Dicite filiæ Sion: Ecce Saluator tuus venit, ecce merces eius cum eo. Isaiæ. 62.

CONSIDERATIONES.

CONSIDERA quomodo appropinquante tempore, quo constituerat Saluator noster Passione mundum redimere, discedat Bethania, & nouo ac insolito modo se paret, vt Hierosolymam proficiscatur: in qua profectione ea, quę præcipuè Deo tribuuntur, sibi adesse demonstrauit. Primò potentiam, quæ ipsum probaret esse verum Deum, in cuius manu sunt corda hominum: Efficit enim, vt domini petitorū animalium, simulac audierunt, Dominum his opus habere, paterentur ea confestim abduci. Deinde, ita commouet animos populi, vt contemto Phariſæorū & Scribarum edicto, irent illi omnes obuiam, & tanta cum gratulatione ipsum exciperent, vt salutarent illum Regem & Messiam. Accedit, quod eo tempore ingressum hunc instituerit, quo penes Romanos in vrbe erat imperiū: at horum nemo fuit, qui illum

1. Punctū.

triumphum vel verbo interpellaret. Denique quod Iudæis manus ligarit. Cùm enim illi iam coègissent concilium, quo definitum erat de morte Christi: ecce tibi hodie ille in oculis ipsorum triumphans vrbē inuehitur: vt ostendat suam mortem in sua manu, nō in decretis Iudæorum esse. Secundò demonstrat. Sapientiam suam: tum quod perfectè impleat figuras & prophetias de se scriptas: tum quod prædicat illis quos mittebat, discipulis, quæ illis euentura essent: tū denique, quod iā proprius ad vrbem accedens, vaticinatur eius ruinas, prorsus ad eum modum, quo postea euenerunt. Postremò ostendit Bonitatem suā, & Amorem. Venit cum summa humilitate, & mansuetudine; insidens abiectis illis & mansuetis animalibus: : & inter voces laudibus & gloria ipsum extollentibus, ipse lacrymatur, dolet casum ciuitatis, miseretur populi illius ingrati, qui eius, & dum viueret, sanguine satiari nequirit, & mortui nomē infamia discipulos omni genere vexationis persecuturus esset.

Considera, quomodo simul & ambulet, & portetur agnus ille mansue-

tus

tus ad sacrificium. Ambulabat, quia sponte se offerebat, & dabat animam suam pro salute mundi, Vehebatur asina & pullo, quia hoc ex obedientia Patris, & ex amore nostrę salutis agebat. Ambulabat Hierosolymam, id est ad locum sacrificij: vt in eadem vrbe & eadem die, quibus agnus ille mysticus immolabatur, perageretur & veri agni sacrificium. Ambulabat, vt esset instar māsueti agni, pro suo grege occisi: & vt lanam suam cum vita & sanguine daret pro ijs ipsis, qui eum his rebus spoliabāt. Ambulabat denique vt affaretur in stipite Crucis, igne flagrantissimæ caritatis: vt ita fieret cibus suauissimus & viuificus animarum nostrarum. O caritas inaudita! O amor fortissime! qui tātum potuisti in pectore Dei, vt ex Leone terribili mansuetissimum Agnum effeceris!

Sed quid hoc sibi vult, ô dulcis IESV, quod cum intra paucos dies, tam ignominiosam mortem subiturus sis: tamen hodie incedas cum tanta gloria triumphans? Planè non facis hoc alia de caussa, quàm, vt quanto maior fuerit huius diei honor & gloria tanto acerbiora & ignominiosiora sint quæ passurus es postea, Nam ab

eodem ipſo populo, in eodem ipſo loco, vbi nũc tanto cum triumpho laudibus in cælum tolleris, paucos poſt dies, cum ſumma ignominia in crucem ſublatus es. Erat & illa huius triumphi cauſſa, quod cuperes oſtendere, quãta voluptate & gaudio animus tuus redundaret, cùm cogitares propè adeſſe iam diem illum tantoperè à te exoptatum, quo pro redemptione noſtra animam poneres. Denique vt doceres amatores Crucis, tam glorioſum eſſe pati, vt ea lætitia & triumpho eundum ſit ad moleſtias quo Reges proficiſcuntur ad accipienda publicè diademata.

Lætare & exulta filia Ieruſalẽ: quia Rex tuus venit tibi. Verè *Rex tuus*, qui non ſua cõmoda & gloriam, ſed tuam vtilitatẽ & ſalutem quærat. *Venit tibi*: quia tibi datus, tibi natus eſt tibi ſe fatigauit, tibi deniq; mortem oppetet. *Venit*, non minax, & ad pœnam repoſcendam paratus: ſed manſuetus, ſicut ouis, vt trahat te ad ſe amabilibus funiculis Adam, & dulcibus ſuæ caritatis vinculis ſibi te aſtringat. Quia.n. duritiam cordis tui frangere non potuit magnitudine ſuæ potentiæ; cupit nunc eandem ſuperare viribus amo-

Oſee. 11.

moris. Venit deniq; inops, vt ſua pau- 2. Cor. 8.
pertate nos diuites efficiat: vtque omnibus ſit facilis ad eum aditus, & facilis vitæ morumque imitatio. O mira ſubmiſſio? Rex Regum non dedignatur ingredi vrbem, inſidens abiectis & contemptiſſimis iumentis, inſtratis vilibus ſtragulis, comitantibus aulicis, in quibus nihil inſigne appareret præter paupertatem.

Conſidera, quomodo Iudæi, quicquid honoris & gloriæ conferunt hodie in Chriſtum, id paucis poſt diebus totum, in dedecus & infamiam eius conuertant. Hodie honorem illi exhibent, quod eum cum pompa ipſimet inducant in vrbem: paulò poſt idem ab ijſdem, crucem humeris baiulans, ex eadem vrbe extruditur. Hodie nihil niſi meras illius laudes & benedictiones ſonant: mox vide quām malè conſentiant illæ voces: *Benedictus qui venit in nomine Domini*: Et: *Tolle illū, Tolle illū: Crucifige: Crucifige.* Qui nūc clamant, *Rex Iſraël;* mox mutata ſententia clamabunt: *Non habemus Regem, niſi Cæſarem.* Qui nunc illum filiū Dauid appellāt, poſt dicent, *Hunc neſcimus vnde ſit.* Qui nūc ab illo ſalutem & felicitatē petunt; mox dicent:

Ioan. 19.

Ibid.

Ioan. 9.

Marc. 15.

Salua temetipſum, et deſcẽde de Cruce. Hodie in ipſius honorem ſparguntur rami Oliuarum & plamarum, cum floribus & folijs: ſed heu quantum ab iſtis ramis diuerſi ſunt rami Crucis: & flores ſpinarum, ab illis floribus: folia clauorum, ab illis folijs: virgæ denique palmarum, à flagellis! Poſtremò honorem illi, ſtratis in terra præ reuerentia veſtibus exhibent: paulo poſt ſuis illum ſpoliant veſtibus. Neque ſatis habent ſuas ei abſtuliſſe homines ſcelerati: etiam alienis illum ludificant: nunc per ludibrium ad maiorem eius ignominiam candidum, nunc purpureum amictum circumponentes:

COLLOQVIVM.

PRECABERIS Chriſtum D.N. vt per illum amorem quo inſidens aſinæ, ſponte ad ſuam Paſſionem acceſſit, voluitque excipi Hieroſolymis tãta lætitia & honore: per hanc ipſam dignetur animam tuam ingredi; vt poſſis te, ſicut iumentum, cum ſumma humilitate & manſuetudine ſubijcere ſuę Maieſtati. Simul vt tibi gratiam det, qua, cum ab eo per SS. Sacramentũ inuiſeris, itemq; cùm ad tem-

pus

pus mortis ipse tibi occurrerit, possis ire illi obuiam, ornatus Christianarum virtutum floribus: ramos actionum piarum manu præferens, cum palma, quæ indicet te tuarum pertubationum fuisse victorem. Vt denique in hac vita gustum tibi veræ pacis internæ præbeat: in altera, nimirum in cælesti Hierusalem, ducat te vsque ad perfectam eiusdem pacis visionem.

DOCVMENTA.

1. NOLVIT *Christus insidere asino nudo; sed instrato vestibus Apostolorum. Christus in anima nuda sedem nõ figit; sed in ea, quam virtutibus & Apostolicis operibus ornatam vestitamq; inuenit.*

2. *Dominus ad vehendum, non sibi delegit animalia superba & pompatica; sed abiecta & mansueta. Curemus in nobis, insint ha virtutes, vt in anima nostra cõsidere & quiescere dignetur Christus.*

3. *Tunc instar Apostolorum locum vestimentis nostris paramus, in quo Christus sedeat; cùm pijs exhortationibus delinimus, & flectimus animos & corda hominum, vt in ijs inhabitare possit Christus & quiescere.*

4. *Illi sternunt vestimẽta sua in via, qui*

mortificatis affectibus & edomita carne, viam parant Christo, qua ad illorum mẽtes accedat. Illi autem qui sua virtute, exemplum alijs ad imitandum præbent.

5. *Tunc Christo cum ramis oliuarũ obuiam imus, cùm exercemus opera misericordiæ & charitatis: cum palmarum ramis autem, quãdo de tẽtatione aliqua victoriam reportamus.*

6. *Vestes nostras ad pedes Christi sternimus, cùm inopes, qui sũt quasi pedes Christi, nostris diuitijs subleuamus.*

7. *Christũ in anima nostra cum laudibus & benedictionibus tum excipimus, cùm in Confessione sincerè exponimus omnia peccata: itemq; cùm pro beneficijs in nos collatis Maiestati ipsius gratias agimus.*

8. *Christus gloriam suam voluit mistã esse humilitate: vt qui pullo asini veheretur, animali scilicet, ad vilia plebis opera destinato. Sic & nos, vbi vel externa laude, vel interna tentatione ad vanam gloriam extollimur, reuocemus in memoriam nostræ conditionis vilitatem, quamq; in rebus omnibus miseri & imperfecti simus.*

MEDI-

MEDITATIO SECVNDA.

DE CONSILIO A IVDAEIS contra Christum habito.

EVANGELIVM.

CVM appropinquaret dies festus azymorum, qui dicitur Pascha; dixit IESVS discipulis suis: Scitis quia post biduum Pascha fiet, & filius hominis tradetur vt crucifigatur. Tũc congregati sunt Principes Sacerdotum, & seniores populi in atrium Principis Sacerdotum, qui dicebatur Caiphas, & consilium fecerunt, vt IESVM dolo tenerent, & occiderent, timebãt verò plebem. *Matt.26. Marc. 14. Luc.22.*

Tunc intrauit Satanas in Iudam vnum de duodecim, & abijt ad

Principes Sacerdotum, & ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? At illi audientes gauisi sunt, & constituerunt ei triginta argenteos; Et cùm conueniſſent de precio, spopondit. Et exinde quærebat opportunitatem vt eum traderet, sine turbis.

FIGVRA.

Gen.37. *FRATRES Ioſephi, cùm eum ad ſe venientem adſpiderent, ſtimulante inuidia de eius nece cogitabant: & conſilio inito dicebant inter ſe:* Ecce ſomniator venit, venite occidamus eum.

Ibid. *Fratres Ioſephum Iſmaelitis viginti denarijs vendiderunt.*

PROPHETIÆ.

Hier.13. *FODERVNT foueam, vt caperent me, & laqueos abſconderunt pedibus meis. Tu autem Domine ſcis omne conſilium eorum aduerſum me in mortem*

Pſal.30. *In eo dum conuenirent ſimul aduerſum me, accipere animã meam conſiliati ſunt.*

Pſal.70. *Dixerunt inimici mei, & qui cuſtodiebant animam meã, conſilium fecerunt in*

vnum

vnum dicentes; DEVS dereliquit eum, persequimini & comprehendite eum.

Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Zach 11.

Vendiderunt Iustum pro argento, & pauperem pro calceamento. Amos. 2.

CONSIDERATIONES.

QVO maioribus beneficijs Dominus populum suum afficiebat, eò magis illorum malitia & ingratitudo incrementa sumebant. Vt meritò quondam per Prophetam conquestus sit. *Filios enutriui, & exaltaui: ipsi autem spreuerunt me.* Isaia. 8. Quoties bonus IESVS lacrymas fundebat, quoties noctes integras vigilabat, quibus Deum Patrem pro salute ipsorum rogaret? quoties dies totos consumebat, in cõcionib. & eruditione populi, in eijciendis Dæmonib. in sanandis illorum infirmis, illi contrà noctes & dies meditantur, & consilia inter se tractãt, quomodo illum in suam potestatem redactũ, quàm crudelissimè occidant. Cæci & miseri Iudæi, qui meditantur & quærunt Christum, non vt eum apud se habeant, sed vt occidant! neque vident se occidere Christum, qui ve-

1. Punctũ.

ra est ipsorum vita, mortem incurrete sempiternam. Beati, qui meliore consilio Christum quærunt, vt eum apud se habeant & possideant. Nam qui IESVM habet, vitam habet, salutem habet, omne bonum habet.

Considera quanto sit maior Iudæ ingratitudo, quàm Iudæorum. Cùm enim delectus esset à Christo, vt in primis subsellijs olim in cælo consideret, vt iudex orbis terrarum: patitur miser homo, ita se ab auaritia cæcari, vt non modò vili precio renunciet tantæ dignitati; sed ipsum insuper Christum vendat. Væ animæ illi, quæ semel apud se obstinatè vitio cuicunque det locum: nullum est enim tam grande scelus, quod data occasione postea refugiat cõmittere. Caueant sibi hic ij, qui alto in statu vitæ agunt, Deoque viciniores sunt. Isti enim si semel sua vocatione excidant, plerumque omnibus postea hominibus peiores euadunt.

Vide quàm parui Iudas Christum æstimet: vt cuius indicationem relinquat arbitrio capitalium ipsius inimicorum Iudæorum, cùm diceret. *Quid vultis mihi dare, & ego vobis illum tradam?* Inauditum est, vt mercis pretium venditor in emtoris arbitrio constituat, nisi

nisi de re nullius precij agatur. O scelerate negotiator, qui estimas eum nummis, qui æstimari non potest: eum, cuius comparatione omnia præciosa nullum habent precium, eum tu tam vili æstimas? Non vides, ô miser, vna gutta sanguinis ipsius, mundos infinitos comparari posse, & hunc tu sanguinem totum triginta denarijs vendis? Iuda perdite, non tam vili tuam animam æstimauit Christus tuus redemptor, quàm tu illius animam vendis. Ille te precio sanguinis sui emit, tu illius vitam 30 denarijs vendis.

O Mater Sancta, tu accede huc ad auctionem filij tui: fac vt à te emant, quia tuus est, non istius latronis, qui res alienas venum exponit, tum appareret, quantum tu adderes ad precium, quantumque tua æstimatio ab illorum æstimatione differret. Quod si voluntatem tuam formans in voluntatem Dei, assentiris vt ab isto latrone vendatur: tu saltem compara: tuum enim te redimere conuenit. Sed tu Iuda infelix si tamen cupiditas nūmorum cogit te Christum vēdere, quid inimicis vendis? amici longè tibi liberalius precium soluent. Quāti puras à te redimeret Lazarus, ne venderes: quantum tibi Magdalena, quan-

tum Martha largirentur! quantum verò Mater, destituta omni solatio ad quam damnum maximè pertinet, quę si non aliud posset, pretio certè infinitarum lacrymarum sibi eum compararet. Cogita denique, si apud Angelos illum venalem proponeres, quærerésque quanti licerentur IESVM, profectò pro suo Domino, suam tecum felicitatem permutarent.

Considera mansuetudinem Saluatoris Sciebat se à Iuda tanta cum ignominia venditum; nec tamen illum abigit; sed inter suos familiares tolerat: non illi claudit, sed patefacit aditum ad suam misericordiam. Inuitat illum, an velit redire ad pœnitentiam, itaque illum ferè primum inter omnes alloquitur, sumit cum illo cibum, vsque eo in amore descendit, vt illi pedes lauet. Heu mihi, quod cor tam durum, quæ mens tam obstinata, quæ non emolliatur, imò rumpatur tanta amoris suauitate? Quod si IESVS tanto amore prosequitur eos, à quibus tantuli venditur: quid faciet illis, qui illum sincerè amant, & fideliter ipsi seruiunt? O optime IESV, quantum ego tibi debeo? Illum enim qui te semel vendiderat, in æterna supplicia

ruere

ruere permisisti: at me seruum perfidũ, qui in singulas horas te vendo; adhuc tamen expectas, adhuc toleras, adhuc porrigis mihi manum gratię, & spatium, vt ad salutem reuertar.

COLLOQVIVM.

ORABIS Christum D. N. per illam mansuetudinem qua passus est, se ab illo perditorum cõsilio morte damnari, & ab vno de numero discipulorum tam vili precio inimicis vendi, vt tibi similiter gratia sua opem ferat, vt quemadmodum ipse ostendit tuæ se magis, quam suæ vitæ rationem ducere; sic etiam tu pro amore ipsius, patienter feras omnia hominum contra te iudicia & cõsilia: itemque vt sis quasi venditus & contemptus à mundo, tanquam inutilis & infamis: nec vlla res creata abducat te ad permutationem aut omissionem summi boni tui: sed vt possis sicut par est, illum solum supra omnes res æstimare, illi seruire, illum amare in æternum.

DOCVMENTA.

1. *QVI alijs vel ætate, vel scientia, vel dignitate præstant, ij operam dare debent, vt præstent etiam sanctitate*

& legum obseruatione: vt possint non modò cõsilio, sed etiam vitæ exemplo sibi creditos adiuuare. Caueãt verò sibi, ne suo exemplo cuiquam occasionẽ dẽt ruinæ, quod ab istis Sacerdotibus & Senioribus Iudæorum commissum est: qui suo iudicio Christũ morte dignum pronũciantes, causſam præbuerũt populo, vt peruerso iudicio ipsorum sequens authoritatem, contra Christum insurgeret.

2. Si Iudas Apostolus Christi, qui cum Christo conuersabatur, eius doctrinã audiebat, & miracula præ oculis habebat: tamẽ sola occasione loculorum, qui erant ipsi commissi, ita per auaritiã excæcatus est, vt animũ posset inducere, vt Dominũ suum venderet: quid nobis fiet, si non cautè caũeamus peccatorum occasiones?

3. Qui principio vim sibi non infert, nec vincit animi vitiosas inclinationes, magno est in periculo ruinæ. Diabolus enim in quã partem inclinari nos intelligit, in eam nos suis tentationibus & grauius impellit, & facilius prosternit.

4. Quemcunque sermone aut exemplo ad peccatum inducimus ei Christum vẽdimus, per eius peccatum iniuria afficiendum, & crucifigendum.

5. Quot cupiditatibus tenemur rerũ terrenarũ, honoris, scientiæ, opum, voluptatum

tum corporis, tot loculos cũ Iuda circumferimus, id est laqueos quibus capiamur, & trahamur ad interitum. Omittamus hos loculos, ne peramus: neque enim Apostolorũ vllus perijt, nisi qui loculos habuit.

6. Quoties Dominum offendimus, vt nostræ cupiditati faciamus satis, aut illius diuinas inspirationes contemnimus: toties Christum vili precio vendimus, & multo viliori nonnunquam, quàm illum Iudas vendiderit.

MEDITATIO TERTIA.

QVOMODO CHRISTVS DVOS discipulos miserit ad parandam cœnam: & Matri extremum Vale dixerit.

EVANGELIVM.

PRIMO die azymorũ, mittit IESVS Petrũ & Ioannem dicẽs: Eũtes parate nobis Pascha, vt manducemus. At illi dixerunt: Vbi vis *Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22.*

paremus? Et dixit ad eos: Ecce introeuntibus vobis in ciuitatem, occurret vobis homo amphoram aquæ portans, sequimini eum in domum in quam intrat, & dicetis patrifamilias domus: dicit tibi Magister apud te facio Pascha cum discipulis meis. Et ipse ostendet vobis cœnaculum magnum, stratum, & ibi parate nobis. Euntes autem discipuli inuenerunt sicut dixit illis IESVS, & parauerunt Pascha. Vespere autem facto venit IESVS eò cum duodecim.

FIGVRAE.

1. Reg. 9. *SAVL cum socio dum quærit Samuelem, occurrit in ipso vrbis ingressu pueris exeuntibus ad hauriendam aquam, à quibus didicit, quo loco esset Samuel, qui vtrumque eo die solemni adhibuit conuiuio.*

Gen. 24. *Eliezer missus à domino suo Abraham, ad inquirendum Laban, in vrbis ingressu occurrit Rebeccæ, ferenti in humeris lagenam aquæ; quæ inuita-*

uit:

uit eum in domũ patris ſui, locum dicens eſſe ibi ſpacioſum, cum omnibus rebus ad habitandum neceſſarijs.

Anna Tobiæ mater, cum filio, in longinquã peregrinationem iuſſu patris abituro, valedixiſſet, cœpit flere & dicere: baculum ſenectutis noſtræ tuliſti, & tranſmiſiſti à nobis. Tob. 10.

CONSIDERATIONES.

CONSIDERA Chriſtum, ſicut in tota vita fuerat, ita in ipſo vitæ exitu voluiſſe oſtendere ſe obedientiſſimum. Non enim omittit obſeruare, quicquid lege præſcriptum erat, donec omnia perfectè compleuiſſet. Itaque cum appropinquaret dies Paſchæ, ſcientes diſcipuli, Magiſtrum ſuum nõ habere proprium diuerſorium, ne tãtum quidem loci, vbi caput reclinaret, accedunt ad illum: Magiſter inquiunt, vbi vis paremus tibi manducare Paſcha? O paupertas filij Dei! ô exemplum humilitatis inauditum! Dominus vniuerſi, cuius cælum eſt ſedes, & terra ſcabellum pedum ipſius, qui eſcit volucres, & dat cibum omni creaturæ in tempore ſuo, cùm in mundum veniſſet, non habet tan-

1. *Punctũ.*

Iſai. 66.

Pſal. 48.

tantum loci, quo peregrinus diuertat: & opus habet, vt alius ei commodet de habitatione, & quasi pro eleemosyna illi Agnum det, vt possit manducare Pascha, & vnam horam lætior agere cum discipulis.

Considera vicissim, quomodo in hac ipsius humilitate, diuinitas tamen eluceſcat: prædicit enim discipulis quasi ad amussim omnia, quæ mox euenerunt. Deinde in extrema inopia ostendit, se omnium esse Dominum. Immutat enim sic mentem hominis Iudæi, vt quod cænaculum sibi suæq; familiæ apparatè ornauerat, id non modò in illum diem permitteret, sed in omne deinceps tempus Christo consecraret. Hoc enim ab eo tempore deinceps perfugium & hospitium fuit S S. Apostolis. Felix cænaculum tam sublimibus dedicatũ mysterijs! felicior tu ô Paterfamilias, qui tam prompta obedientia & caritate locum hunc demonstrasti Christo! Excepisti illum hospitio, meruisti igitur, vt ille aliud præbeat tibi hospitium, sine comparatione præstantius. Tu illi præbuisti in terra, ille tibi in cęlo, tu illi temporarium, ille tibi æternum. O Redemtor orbis, quando tam liberaliter soluis, & tuos hospites tam bene remuneraris, quæ-

quæso te, diuerte etiam & quiesce in anima mea: postquam in illa, per tuam gratiam, dignam tibi sedem praueneris, vt sit instar cænaculi mundi & apparati, possitque cum Propheta dicere: *Paratum cor meum Deus, paratũ cor meum.* *Psal. 56. & 107.* Tale sit denique, vt Maiestas tua, cor mundum ingressa, cum ipso ibi cænare dignetur: te cibum præbente de teipso, vt pascatur de te vero agno, & pane viuo, qui descendisti de cælo, dans vitam hominibus.

Sed quid est, dulcis IESV, quod cùm sis modò Bethaniæ in Magdalenæ & Marthæ ædibus, adsit etiam carissima Mater tua, vt non cum illis facias hoc vltimum Pascha? Cur non huius temporis breue hoc solatium præstas Matri, cui non post multas horas, occasionem daturus es acerbissimorum dolorum? Cur hoc labore discipulos oneras, vt quærant locum & apparatum huic cænæ: cùm hîc commodissimè iam apparata habeas omnia? & quod caput est, cum hæc omnia tibi hîc tanto amore & suauitate ministrentur? vsque eò, vt si hæ dilectæ fæminæ alium locum non haberent, vel in ipso corde locum facerent, vbi & tu cum discipulis & ipsæ tecum dulciter gauderent?

Licet

Licet hic cogitare, quid non fecerit ignitæ illius Magdalenæ animus, quid nō tentarit, vt ſuum apud ſe magiſtrum retineret. Vbi verò nihil vidit ſe poſſe, plena mærore, conuertit ſe ad matrem deprecatricem adhibendam: quam & ſciebat maiori quàm ſe flagrare deſiderio, & authoritate plurimum apud filium valere. Hanc igitur vt precum ſuarum apud filium ſit interpres rogat. Itaque & illa, partim hoc ſubito Chriſti conſilio anxia, partim aliorum mæſtitia, quam nec Diſcipuli iam diſſimulabant, hæſitans an hæc vltima eſſet profectio, ſuſpenſo animo filium amplectitur, & pro materna libertate ita loqui incipit. Et omnes præſentes, & me in primis Fili mi, maximo perfuderis gaudio, ſi hoc Paſcha nobiſcum manſeris, & tua nos præſentia exhilaraueris, quod ita rarò nobis præſtitiſti, neque iter ſuſcipias Hieroſolymam, vbi in inimicos incidas, qui, vt probè noſti nunc acriore quàm vnquā antea, flagrant in te odio, quod ſola morte tua exſtinguant. Quod ſi alij filij, tametſi procul abſint à parentibus, tamen hoc tempore ſe ad eos conferunt vt diem ſolennem vnà peragant, quomodo tu cùm in vna mecum ſis domo, ſic me relinques? Reſpice in qui-

quibus adhuc miſerijs fuerim, quas tui amoris cauſſa varijs temporibus & ſuſcepi, & pertuli. Tantas corporis fatigationes, tantas animi moleſtias, tanta pericula, paupertatem, & ſolitudinem, quę tecum vnà toleraui, nunc huc nunc illuc fugiens. Hæc omnia, tantum ſaltem apud te valeant, vt tot dolores hanc vnã habeant pro compenſatione conſolationem.

Cùm hæc dolens mater dixiſſet, & ad finem, non valens ſe vlterius continere, lacrymas addidiſſet, non potuit fieri, quin tenerrimo affectu cor filij emolliretur. Itaque verbis amore & pietate plenis illi reſpondet. Et ego noui cara mater, me tibi verbis meis nouum dolorem & curam allaturum, veruntamen quia delegi te, non ſolùm vt eſſes mihi Mater; ſed etiam vt ſocia omnium moleſtiarum & paſſionum, vt ſis poſtea & conſolationum: hoc tibi planè edico, ſic velle Patrem meum, vt eam ad Paſſionem & mortem, atq; tempus ipſum iam inſtat, quo hoc mihi officium præſtandum eſt, propter quod ab illo miſſus ſum, & hanc à te carnẽ accepi. Tempus iam eſt, qd oporteat pro ſalute mundi impleri in me omnẽ iuſtitiam. Nec poſſum diutius differre, nedum facere.

cere vobiscum Pascha, cùm ita à Patre meo sit constitutum, vt in qua vrbe verus agnus est immolandus, in eadē mysticus ille & legalis offeratur, & manducetur. Vos igitur cum pace mea hîc manete, & quemadmodum ego per obedientiam promptè amplector hanc crucem; sic quæso & vos prompto animo offerte me paternæ voluntati.

Perpende hîc, quæ sagitta, & quis gladius fuerit ille, qui pijssimæ Matris animam, ad vltima hæc dilecti filij verba penetrauit. Volebat & optabat aliquid vicissim respondere; sed crudelis dolor ita illi cor perstrinxerat, vt non sineret illam verba formare, sed tacitas solum ex oculis lacrymas profundere. Potes hic coniecturam facere, quæ cogitationes in illo mæsto Virginis pectore tum versatæ sint: qui affectus resignationis in voluntatem Dei, qui item affectus amoris & caritatis in filium. Hinc erat voluntas obediendi cupidissima, quę illam incendebat, non modò vt filium, sed etiam vt seipsam, si ita opus foret, vltro ad mortem offerret. Inde amor in filium, ita vt cùm cogitaret illa opprobria, ludibria, ignominias, mortem, deniq; infamem carissimi filij, omnia eius viscera caritate materna commouerentur. Hoc igi-

tur

tur in conflictu cùm media consisteret, nihil poterat, nisi flere. Vicit deniq; desiderium implendæ voluntatis diuinæ: itaque in vno simul momento, & se filium suum veluti sacrificium offerens æterno Patri, hunc in modum respondit. Quàm acerbo me dolore afficis, fili mi? Verè si ita visum fuisset Patri tuo, morerer ego pro te: aut certè, si te mori necesse est, lubens tecum vnà mortem obirem: quando reliquum vitæ meæ tempus sine te, nihil erit nisi mors perpetua. Quod si nec id potest, & fixum est hoc Patri, vt ego viuam, tu ad mortē pro salute hominum voceris, abi sanè fili mi, cum bona mea precatione, & benedictione Patris. Abi iam tot annos desiderate cunctis gētibus, perfice mandata Patris, perfice id officiū quod omnes Angeli & homines à te exspectant & optant. Ego interea in mæstitia & solitudine, dies noctesq; lacrymando consumam: donec tu vnicum bonum meum; desiderato tuo reditu tristitiam iterum abstergas.

Vidisses iam alias lacrymas B. Virginis, quàm Agar, quum aspiciens filium suum vicinum morti, coram illo lacrymabatur. Vidisses in hac acerba diuulsione, talis matris à tali Filio tam inter se aman-

amantium, alios planctus & amoris signa, quàm inter illos duos fidelissimos amicos Dauid & Ionathan, cum alter ab altero separaretur. Vidisses similiter in persona Virginis, magnum illum Patriarchum Abraham, stantem diuina quadam fortitudine, & Vnigenitum filium suis manibus sacrificantem. Sed huius Virginis Sacrificio, fortitudo & constantia illius Abrahamici longè superatur, quod & ipsa mulier esset, & Mater: filium autem offerebat, non solum hominem, qualis Isaac, sed qui Deus simul esset & homo: quemque ipsa non filij tantùm, sed parentis, & sponsi loco haberet. Denique vt grauis erat illius dolor, ita & sociarum, quæ pietate & amore IESV adhærebant. Facilè hîc cogitabis, quot fuderint lacrymas, & quàm acerbum & crudelem omnes putauerint hunc discessum; in primis afflicta Mater, cùm filius vnicus, quem plus seipsa amabat, manibus crudelissimorum hostium se traditurus discederet. Intolerabilis erat, cùm ipsi, tum cæteris hæc separatio; & si fieri potuisset, deduxissent sanè Christum de hac sententia. Sed nimirum plus poterat in corde IESV, zelus honoris paterni, & salutis nostræ, quæ illi suadebant vitam pro nobis ponere.

nere, quàm vel affectus amicorum & familiarium, vel lacrymæ Matris. Itaque cùm omnibus ad extremum valedixisset, sumpto à Matre osculo pacis, ad voluntarium mortis sacrificium, instar mansueti agni profectus est.

COLLOQVIVM.

ROGABIS Christū D.N. vt quemadmodum ipse misit discipulos, ad præparandum Pascha Hierosolymis: & Bethaniæ relicta matre cum reliquis amicis, vt Patri obediret profectus est, vt inter inimicos Pascha perageret: sic per Spiritus Sancti gratiam paret animā tuam, vt ipsius diuino amore, consumente omnes in te humanos affectus, & creatarum rerum amores, nihil vnquam vel secundis vel aduersis rebus quæras aut desideres, nisi vt quicquid illi placet, id in te quàm perfectissimè impleatur.

DOCVMENTA.

1. *QVI in illis rebus obedientiam præstant, in quibus iustis de caussis ab obedientia liberi erant, idq; vt alijs exemplum præbeant, tanto maiore sunt virtute præditi, quanto sunt Christo similiores; qui cùm nulla lege teneretur, vt tamen*

men nobis exemplum relinqueret, voluit se sponte legi subijcere.

2. In rerum externarum angustijs, non nimia est capiendo solicitudo, sed Deo fidendum: illudq; cogitandum, si modò nos illi fideliter seruiamus, & ante omnia regnum Dei & gloriam eius quaramus, fore, vt ille non desinat necessaria nobis curare. Quemadmodum Christo, tametsi nullum apparatũ fecisset ad Pascha, omnia tamen ad tempus præsto fuerunt.

3. Misit Christus Petrum & Ioannem, ad parandum Pascha. Petrus bonã actionem, Ioannes deuotam significat contemplationem. Sic nos si cupimus dignum parare in anima locum, quo corpus Christi in Sacramento accipiamus, præmittere debemus virtutum actiones cum deuotis orationibus.

4. Domum, quam Christus ad celebrandum Pascha erat ingressurus, prius ingreditur homo, portans lagenam aquæ: vt intelligamus, cum in SS. Sacramento Dominum recepturi sumus, lauandam prius purgandamq; animam, aquis lacrymarum & contritionis de peccatis.

5. Si cupimus, vt D. N. in corde nostro hospes esse dignetur, efficiamus ex illo cœnaculum grande, stratum: grande per magnitudinem fidei, amplitudinem spei, cari-

caritatis latitudinem, stratum varietate virtutum omnium.

6. *Cùm Christus Patris mandato vocaretur, vt Hierosolymam iret ad crucem, discessit Bethania, relicta Matre, amicis, & omnibus quæ apud illos iucunda esse possunt. Sic nobis, cùm vt diuinis præceptis obediamus, itemq; sanctis inspirationibus, si quando nos Deus vocet Hierosolymam, id est, ad visionem pacis, ad statum scilicet perfectiorem, vbi vera est pax, abijciendus est omnis affectus & respectus humanus: relictis enim parentibus, amicis, atq; omnibus quæ mundo grata sunt, currendum est alacriter, ad amplexandam cum Christo crucem obedientiæ.*

7. *Parentes & amici Christi Bethaniæ erant, quod domum afflictionis significat: At verò hostes & crux Hierosolymis, quæ est visio pacis: quo latenter indicatur, inter parentes, & mundi voluptãtes, nihil nisi molestias Spiritus inueniri, per crucem è contrà persecutionum & afflictionum, rectà iri ad veram & perfectam pacem.*

MEDI-

MEDITATIO QVARTA.

DE VLTIMA CÆNA, QVAM Christus cum discipulis instituit.

EVANGELIVM.

Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22. ET cum facta esset hora, discubuit IESVS cum discipulis suis, & ait illis: Desiderio desideraui manducare hoc pascha vobiscum, antequam patiar. Dico enim vobis, quia ex hoc, non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. Et accepto calice gratias egit, & dixit: Accipite & diuidite inter vos. Dico enim quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat.

PROPHETIÆ.

Prou. 9. SAPIENTIA *immolauit victimas suas,*

suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam. Prou. 9.

Filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ. Psal. 127.

CONSIDERATIONES.

CVM tempus esset, discubuit IESVS cum duodecim. Vide, vt sedeat inter seruos, Dominus: inter discipulos, Magister: Pater, cum filijs: & cum dilecto grege suo, Pastor: Erat inter illos non aliter, ac mansuetissimus agniculus, inter mansuetas ouiculas: quorum gregi se rapax ille lupus, & rabidus canis Iudas proditor quoq; immiscuerat. Mi suauissime IESV, non fuit satis truculentam hanc belluam in tuo contubernio toleraſſe, nisi etiam huic extremæ cænæ, quam instituteras ad exiguam tuam cũ discipulis exhilarationem, interesse permittas, vt felle suæ improbitatis, dulcissimæ conuersationi vestræ, acerbitatem aspergat? Facilè apparet, te, vt nobis puras & liquidas consolationes dares, voluisse, vt tuæ omnes mistæ essent amaritudine. 1. Punctũ.

O Sancti Apostoli, ô Principes orbis terræ, qui nunc in tantis gaudijs, cum vestro Magistro cõuiuium initis, parate

vos, arripite scutum, armate vos forti & constanti fide. Iam intra paucas horas, in medio armorum hostibus cincti stabitis. Sed vos tum timore victi fugietis, & bonum illum Pastorem, inter rictus & vngues furentium luporum deseretis.

Accedamus & nos, anima mea, ad cœnam hanc. Hac enim nulla vnquam in orbe nobilior, nulla preciosior. Quanquam enim in speciem minus lauta videatur: tamen intus in illa latet, quicquid opulentum, bonum, iucundum, pulchrum in cælo vel gustari, vel videri potest. Quam ego me beatum putarem, si dignus fuissem in hoc conuiuio interesse, in aliqua re ministrare Domino meo Redemptori, colligere micas, quæ diuinis illis manibus decidérent; aspicere diuinam illam faciem, in quam desiderant Angeli prospicere, audire ex ore Verbi æterni verba dulciora fauo & melle! Prorsus existimo, futurum fuisse, vt non possem me continere, quin in terram, ad sanctissimos pedes prociderem, eosque, quod Magdalena fecit, lacrymis rigarem. Sed & tu benignissime Domine, quemadmodum non illam, sic neque me contemsisti, quamuis propter peccata indignum. Nam cùm

me

me tam inopem vidisses, aperuisti misericordiæ tuæ viscera, & mihi non minus, quàm discipulis tuis præbuisti cibum aliquem spiritualem.

Desiderio desideraui, ait ad discipulos Christus, *hoc pascha manducare vobiscum.* Manducauerat & aliàs non semel cum discipulis Agnum, & fecerat Pascha: nunquam tale quid locutus est. Iam verò duæ erant causæ, quibus tantum desiderium accendebatur: altera propter cibum, quem statuerat illis iam dare: altera propter semetipsum, quod se illis daturus esset. Nam aliàs in peragendo Paschate, agnum assum, cum ipsis comederat, & panes Azymos, quæ lege præscripta erant: in hac cæna iam non vmbras & figuras; sed seipsum verum agnum, figuris indicatum, dare constituit. Hoc itaque erat desiderium Christi, vt ceremonijs antiquæ legis finem imponeret, simul initium faceret nouo Paschati, in quo non iam typicus Agnus, sed verus ille, qui tollit peccata mundi, sacrificaretur & manducaretur. Altera erat causa, quod hoc tandem Paschate, expleturus esset plenum illud amoris desiderium suum, quo seipsum cum homine totum, quibuscunque modis fieri posset, communicaret.

Cùm autem vsque eò se homini dedisset, vt carne eius se vestiret, quò commodius inter nos versari, & ad se nos posset attrahere, restabat aliud nihil, ad perfectam nostri transformationem, qua vnum ipsi efficeremur, nisi vt se etiam nobis daret in cibum. Itaq; cùm benignissimus IESVS, triginta annis, quasi ardentissimè sitiens cucurrisset, vt nos liberaret è potestate Diaboli, vt reduceret ad suum ouile, vt amissam salutem restitueret: videns tandem aliquando venisse diem illum, quo sitim omnium desideriorum suorum restingueret; his vocibus intimam animi sui lętitiam voluit indicare.

Sed, ô benedicte IESV, ij quidem qui manducaturi sunt hoc Pascha, causam habent maximorū gaudiorum, dū in memoriam reuocant singulare illis à te præstitum beneficium: tibi verò qui Agnus ipse es, cum tanta crudelitate, pro salute mundi mactandus & occidendus, doloris potius & tristitiæ debet esse causa. Nimirum video, mi suauissime Domine, hoc tuum desiderium, ex vehementia amoris ergà me nasci: quò fit vt magis sit tibi cordi, & acrius te premat meum bonum, quàm tuum malum, vt plus voluptatis capias ex

mea

mea salute, quam tua morte effecturus es, quàm doloris ex ipsa morte, quam subiturus es. O desiderate cunctis gentibus, quantum inter tua & nostra desideria interest! quàm longè omnes omnium amores tua caritas antecellit! Beatæ in cælo mentes desiderant aspicere in faciem tuã, sed vt ex hoc adspectu gaudium capiant & felicitatem: Patres antiqui desiderabant aduentum tuum, sed vt salutem & vitam à te acciperent: tu verò desideras nobiscum esse, non cõmodi alicuius tui gratia, sed tantùm vt pro salute nostra supplicia & mortem perferas.

Deinde addit Dominus, non se amplius cum discipulis manducaturum hoc Pascha cæremoniale, in quo Agnus ederetur, & vinum biberetur tantum in figuram, donec adimpleretur in regno Dei, id est, donec sua morte deuicto peccato, & resurrectione sua iustificatis nobis, inciperet in sua Ecclesia regnare. Tũ enim celebraturus est cum illis, nouum illud & perfectum Pascha, quo pascet illos vero agno, suo scilicet precioso corpore & sanguine. Tum vmbræ in lucem, figuræ in veritatem, lex in Euangelium commutabitur. Tum demisso cælitus Spiritu S. incipiet mundus aper-

tè intelligere, Christum fuisse verum filium Dei, Regem cæli & terræ, tum regnū eius spirituale incipiet amplificare, & suis finibus totum orbem terrarum amplecti: quo tempore fidelis populus (vt est in Actis Apostolorum) cępit cum singulari alacritate & simplicitate, frequenter hunc viuificum pánem, in SS. Sacramento sumere. O felix regnum! ô beatos, quorum Dominus est Deus, & Rex ipsorum! qui digni sunt habiti assidere ad illam mensam, in qua cum suo dilecto IESV faciant Pascha, in quo ipse est qui inuitat, ipse qui suis manibus ministrat, ipse cibus, qui nos pascit, ipse denique, qui per hunc cibum se nobis vniendo vnà nobiscum epulatur. Agnosce homo dignitatem tuam, agnosce verum amatorem tuum, & redemptorem tuum; & caue, ne tantis beneficijs sis ingratus. Quod si nihil habes aliud, quo respondeas huic benignitati, gratias saltem age, & tantum amatorem tui viciſſim ama.

COLLOQVIVM.

ORABIS Christum D.N. vt quemadmodum in illo cęnaculo cum discipulis cænam instituit, sic in tua anima donis Spiritus S. velit cænaculum para-

re

re grande, stratum; quo ipse venire ad habitandum, & tecum cænare dignetur. Vt cum illo vinculis caritatis coniunctus, possis adiuuante ipsius gratia semper cogitare & facere omnia, quæ Maiestati ipsius grata sint, quæ ijs contraria odio persequi, & vitare: vt denique in his rebus ad mortem vsque persistens, dignus habearis beata illa cæna nuptiarum agni, ad quam electi omnes vocati sunt.

DOCVMENTA.

1. *CHRISTVS dum cænat, & discipulis suam caritatem ostendit, Iudam non excludit, à quo se venditum sciebat. Sic nos à beneficentia nostra neminem omninò proximorum debemus excludere, sed benefacere omnibus: & non minus pro ijs, qui nos odio, quàm qui nos amore prosequuntur, orare.*

2. *Non abijciendus est animus, si quando desiderijs nostris continuò Dominus non satisfacit: etiamsi bona illa & sancta sint. Nam & ipse Christus tot annos expectauit, antequam salutem nostram, cuius tanto æstuabat desiderio, nobis conficeret.*

3. *Christus non ignarus, vel quàm misera esset hæc vita, vel quam optabilis ipsi*

& preciosa mors: semper vitam fastidiebat, mortem exoptabat: At nos caci, qui nihil aliud dulce aut præstans iudicamus, nisi quod oculis cernimus, & nimiũ horremus mortem, & vitæ cupiditatem immensam fouemus.

4. *Porrexit discipulis calicem Christus, vt eum inter se diuiderent. Calix hic molestias & res aduersas huius vitæ indicat, qui voluntate Christi inter nos diuidendus est. Vt scilicet alter alterius mala doleat, alter alterius onera portet, alter alteri, cùm res postulat, sit subsidio. Ita si faciamus, implebimus legem Christi, quadre Apostolus:* Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.

5. *Promisit Christus Apostolis, tum se perfectè manducaturũ cum ipsis Pascha, cùm in sua Ecclesia regnum obtineret, quod nunc omnibus fidelibus præstat: cùm enim dignè sacra mysteria sumunt, epulatur ipse cum illis tanquam membris suis. Quod si igitur tanta hominis Christiani dignitas, quanta est manducare Christum, non mouet nos ad huius mensæ frequentationem: moueat saltẽ quod Christus nobiscum manducet: vt die illa iudicij extrema possit dicere:* Venite benedicti, quoniam esuriui & dedistis mihi manducare. *Matt. 25.*

6. *Ve-*

6. *Verus Paſchæ agnus, id eſt, Chriſtus in Sacr. eo modo ſumi debet, quo ille myſticus. Principiò cum pane aſymo ſine fermento, id eſt, conſcientia expurgata ab omni malitia & peccandi voluntate. Deinde cum lactucis agreſtibus, id eſt, cum acerbo dolore peccatorum. Tertiò, ſuccinctis lumbis, per continentiam carnis. Quartò calceatis pedibus, id eſt, affectibus liberis à rebus terrenis. Quintò cum baculis in manibus, id eſt, accurata cuſtodia noſtri ipſorum.*

MEDITATIO QVINTA.

DE LOTIONE PEDVM.

EVANGELIVM.

ANTE diem feſtum Paſchæ, ſciens IESVS quia venit hora eius, vt trãſeat de hoc mundo ad Patrem, cùm dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Et cæna facta, *Ioan. 13.*

sciens quia à Deo exiuit, & ad DEVM vadit: surgit à cæna, & ponit vestimenta sua. Et cùm accepisset linteum præcinxit se. Deinde misit aquam in pelvim, & cœpit lauare pedes discipulorum suorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus. Venit ergo ad Simonem Petrum, & dixit ei Petrus: Domine, Tu mihi lauas pedes? Respondit IESVS, & dixit ei. Quod ego facio, tu nescis modò, scies autem postea. Dicit ei Petrus: Non lauabis mihi pedes in æternum. Respondit ei IESVS: Si non lauero te, non habebis partem mecum. Dicit ei Simon Petrus: Domine non tantum pedes meos, sed & manus, & caput. Dicit ei IESVS: Qui lotus est non indiget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus. Et vos mundi estis, sed non omnes. Postquam ergo lauit pedes eorum, & accepit vestimenta sua, cùm recubuisset iterum, dixit eis: Scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me Magister & Domine, & benedicitis, sum etenim; Si ergo laui

pedes

pedes vestros Dominus & Magister, & vos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.

FIGVRAE.

FRATRIBVS *Ioſephi in Aegypto, cùm ab ipſo ad conuiuium inuitati eſſent, præbita eſt prius aqua pedibus lauandis.* Gen. 43.

Moyſes Aaronem & filios prius aqua lauit, quàm eos indueret ſacris Sacerdotum veſtibus. Leu. 8.

CONSIDERATIONES.

CONSIDERA, quomodo Chriſtus verè ſuos amauerit vſque in finem, & vide illum ſtantem in modum magni Patris Abraham, qui Sole maximè vrente, conſiſtebat in oſtio tabernaculi. Stat & Chriſtus in oſtio,, in ipſo vitæ exitu, totus amore accenſus: quamquā enim ſemper in illo arſerat amor infinitus, tamen elucebant eius quaſi ſcintillæ magis ſub vitæ finem. Atq; hi ſunt 1. Punctū. Gen. 18.

illi excessus amoris, de quibus interse
Luc. 9. Moyses & Elias in monte Thabor colloquebantur, quos completurus erat in Hierusalem. Planè magnus fuit excessus, quòd Deus se ad hominum pedes lauandos demitteret: magnus excessus, quod Creator se cibum dederit creaturæ: magnus deniq; excessus, quod omnium Dominus, vt vilissimis seruis vitam restitueret, mortem in cruce sustinuerit. Amauit ergo discipulos suos in fine, quia in fine manifestiora dedit amoris indicia: amauit in fine, quia constanter ad finem vsq; in amore perstitit: amauit in fine, quia illorũ amore impulsus est, vt in cruce finem viuendi faceret.

Vide, vt discipuli, serui videlicet, in orbem consideant: Dominus dominorum, in cuius nomine flectitur omne genu,. obeat cum tanta humilitate & amoris affectu, nunc ad huius, nunc ad illius pedes, sacra inflectens genua, & sordes immundis pedibus abluens, denique exsiccatos magna suauitate exosculans. O beati discipuli, quàm optasset anima mea cò reponere oculos & ora, quò vos tum reposuistis pedes. In illas scilicet manus, in qu.bus beatæ mentes & cælũ ipsum erat. Anima mea, quandoquidem tam benignè Saluator nos

noster

noſter inuitat, accede & tu, & deliteſce in angulo aliquo à tergo alicuius Apoſtolorum, ibi ad extremum expecta, tum porrige & tu bene abluendos pedes immundarum affectionum. Si enim ille te non lauerit, non habebis partem cum ipſo.

Conſidera, quàm attoniti ſederint ſimplices diſcipuli, cùm viderent Dominum ſuum & Magiſtrum, de quo propter eximiam ſanctitatem & diuina opera, tã ſublimiter ſentiebant ſeruili more ſordes à pedibus ipſorum abluere. In primis verò humillimus Simon Petrus, cuius tanta fuit humilitas, vt viſo primùm illo, de multitudine captorum piſcium, miraculo, indignum ſe iudicaret, qui tam ſanctum virum in ſua haberet nauicula, atque ideò exclamaret: *Exi à me, quia homo peccator ego ſum.* Atque idem diuinitus tam illuſtratus erat, cognitione diuinitatis Chriſti, vt cùm idem Dominus rogaret Apoſtolos quid ipſi de ſe ſentirẽt, ſolus Petrus intrepidè reſponderit: *Tu es Chriſtus filius Dei viui.* Quid ergo mirum, ſi modò, illum ſibi ad pedes iacentem videns, plenus ſtuporis & timoris recuſet, & exclamet: *Domine tu mihi lauas pedes?* quaſi dicat. Tu filius Altiſſimi, tu Dominus mũdi, Deus

viuus & verus, cui meritò curuatur omne genu cæleſtium, terreſtriũ, & inferno rum, mihi homini miſero & peccatori, mihi indigniſſimo & infimo ſeruo tuo te inclinas? Indignum planè, indignum eſt, vt manus illa, quæ cælum creauit, in cuius poteſtate repoſuit omnia Pater cæleſtis, demittat ſe ad pedes cuiuſquã mortalis. Non ſinit tua excellens dignitas, & profunda mea miſera, vt ego vnquam huic rei aſſentiar. Bone Simon, quid vſque adeò demiraris? Certè ſi, quo modo dignitatem & diuinitatem Filij Dei cognitam habes; ſic magnitudinem amoris illius, & infinitũ ſalutis tuæ deſiderium cognoſcas; fortè non videretur tam magnum, ſi is qui noſtri amore deſcendit, ad formam ſerui accipiendam, nunc more ſeruili non dedignetur hominum pedes lauare. Sed non eſt hic finis caritatis, non ſatiatur tam exiguo officio tam cupidus amor. Hũc ipſum IESVM, quem nunc vides ſe demittere ad pedes aqua abluendos, mox videbis longè maiore humilitate, & cũ tuo maiori ſtupore, inter duos latrones in ſtipite infami, ſe conſtituere medium, vt tibi ſuo ſanguine balneum paret, & ſua morte tibi, totique mundo vitã largiatur. Quod ſi & tibi, anima mea, ſicut

Petro;

Petro, indigna hæc videntur tanta maiestate, putasque nimiam esse hanc demissionem: æstima culpæ tuæ insignem grauitatem, quæ Deum & Creatorem tuum ad tantam indignitatem & humilitatem deduxit.

Considera, quomodo, dum Christus lauat pedes discipulis, ipsi magno animorum sensu & pietate, suas lauerint facies profusissimis lacrymis, quib. simul animas suas lauabant, purgabantq;. Solus Iudas oculis defixis & siccis aderat, quando & solus illius animus nullo moueba tur pietatis sensu. IESV benedicte, quid iniuriæ fecisti huic tuo proditori, quòd tantopere te illi submittis. Sanè dum manib. illis diuinis sordidos illius pedes amplecteris, & cum tanta demissione lauas, veniam ab illo offensæ alicuius petere videris. O improbissime Iuda, ô cor saxeum, qui cùm videas Magistrũ tuum ad pedes tuos stratum tibi seruire, tamen à crudelitate & duritia tua non discedis; & plus sinis apud te valere insanam auaritiam, quàm tantæ benignitatis & humilitatis exemplum.

Quàm admirandum erat spectaculum, aspicere Regem Cælorum, quẽ tremunt Angelicæ potestates, & cui se inclinant ij qui mundum sustinent, humi stra-

ſtratum ad pedes viliſſimi piſcatoris iacentem, &, quod omnia ſigna amoris & humilitatis longiſſimè ſuperat, eundem videre lauantem atque extergentem, cum tanta amoris ſuauitate pedes ſui proditoris? Omnino, Domine, non erat aptior medicina ad curandam vanitatem & ſuperbiam noſtram, quàm tam inuſitata tua demiſſio. Et quî fieri poteſt, vt iam homo quiſquam audeat tollere animos, & ſe alijs præferre, cùm videat Deum Maieſtatis, inſtar ſerui, abiectum ad pedes peccatorum?

Tunc Chriſtus ſurrexit à cæna, & poſuit veſtimenta ſua, cum diſcedens ex illo cæleſti conuiuio, vbi illi in ſua infinita beatitudine, ab Angelis ſimul cum Patre & Spiritu S. miniſteria & honores exhibebantur, depoſuit regiam gloriæ ſuæ veſtem, & exinaniuit ſemetipſum, in ventrem virginis ſe demittens. Tum verò præcinxit ſe linteo, cùm aſſumpta ſerui forma, noſtram induit humanitatẽ, tunc miſit aquam in peluim, cùm ſanguinem, quo fæditatem criminum noſtrorum abluit, effudit in terram, tum denique extерſit linteo pedes noſtros, cùm in mundiſſimam illam naturæ ſuę humanæ ſyndonem collegit maculas omnes peccatorum noſtrorum vt à Pro-

pheta

pheta fuerit prædictum: *Et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.* Isaiæ 53. Itaque cùm nos bene mundos & nitidos reddidisset factus est ipse, vt in Cruce videre est, plenus maculis & deformitate, vt meritò admirantes Angeli dixerint: *Quare rubrum est indumentum tuum, & vestimentum tuum, sicut calcantium in torculari?* Isaiæ 63. Immenta planè fuit caritas tua, Domine, qui munditiem & puritatem animarum nostrarum, precio tui sanguinis comparandam putasti.

Exemplum dedi vobis, inquit, *vt quēadmodum ego feci & vos faciatis*, Quid, amabilissime Domine, quid fecisti, aut in quo meam imitationem requiris? Amasti me ardore quodam amoris? vis nimirū vt ego inuicē amē te. Surrexisti de cęna, ad pedes discipulorum lauādos: vt ego meas voluptates & cōmoda posthabeam officijs & auxilijs proximorū. Posuisti vēstem: vt pudeat me superbia, & cupiditatibus rationis imperium contemnentibus vestitum esse, cùm te ad tantæ humilitatis opus depositis vestibus videam apparari. Præcinxisti te linteo candido: vt ego lumbos animæ linteo castitatis & munditiæ cordis habeam præcinctos. Denique, vt te prorsus exprimam, lauandi sunt & mihi pedes

discipulorum meorum, sensuũ videlicet & perturbationum, vt quemadmodum antea seruierunt carni: sic in posterum seruiant spiritui, Hæc ego, si vt par est fecero, confido facturum te pro caritate tua, vt & ego ad suauissimum Apostolorum conuiuium admittar.

COLLOQVIVM.

ROGABIS Christum, vt quoniam ille, præbiturus nobis humilitatis exemplum, abiecit se ad pedes discipulorum lauandos, gratiam tibi conferat, qua desideres & gaudeas seruus esse omnium, & omnium vel maleuolorum pedibus subiectum. Rogabis item per merita altissimæ huius demissionis, vt tuos affectus sic dignetur expurgare, vt nitidè vtroque amoris pede, altero aduersus Deum, altero aduersus proximũ emundato, possis cum maiori puritate viam seruiendi Deo, & adiuuandi proximos insistere.

DOCVMENTA.

1. MANVS & caput vt munda sint, instar Apostolorũ curare debemus, id est, vt in operibus & moribus sit sanctitas, puritas, & rectitudo in intentione.

2. Sæpe pœnitentia & confessione crebra,

bra, abluenda sunt sordes cupiditatum & amoris terreni à pedibus animæ, vt possimus partem habere cum Christo.

3. Christus de humilitate nos eruditurus, prius exẽplo, tum verbis docet: prius enim lauit, quam docuit: vt intelligeremus eos, qui alijs Superiores sunt, aut eorũ curam gerunt, debere suos primùm suo exemplo, deinde oratione ad virtutem adducere.

4. Pedes fratrum & proximorum cum Christo lauamus, cùm pro ijs, qui in peccatis hærent, preces fundimus, cùm iniurias nobis illatas vltrò donamus, cum nostris sanctis moribus & cohortationib. pijs illos ad peccata & imperfectiones fugiendas inducimus.

5. Quæcunq; actiones à caritate & humilitate proficiscuntur, eæ, Christi exẽplo, summo desiderio & alacritate arripiẽdæ sunt. Neque enim verecũdari Christianũ decet, si factum Christi sequatur: nec seruum, si ijs ministerijs occupetur, in quibus videt esse Dominum.

6. Pudeat nos, cùm videmus Dominum & Magistrum cum discipulo contendentẽ, vt sibi liceat inferiorem esse & pedes more mancipij lauare. Et nos terræ vermiculi erubescimus seruire, obedire, ijs etiam quibus inferiores sumus:

cupi-

cupientes honorem & reuerentiam nobis potius exhiberi.

7. *Noluit Christus Petro lotionis causſam, niſi abſoluto opere, iudicare. Sic nos non decet curiosè rerum, quas Deus in hoc mundo permittat, ſcrutari cauſſas; potius perferre omnia: ad extremum enim omnia cum fructu & voluptate quorſum pertinuerint intelligemus.*

8. *Qui agrè ferunt aut certè infructuoſas apud ſe eſſe patientur aliorum reprehenſiones, aut Superiorum, patrumq; ſpiritualium monitiones; item qui contemnunt aut repugnant diuinis inſpirationibus: ij ſunt, qui à Chriſto lauari, & quod ſequitur, partem habere cũ illo recuſant.*

MEDITATIO SEXTA.

DE INSTITVTIONE SS. Sacramenti.

EVANGELIVM.

Matt. 26 Marc. 14. Luc. 22.

CAENANTIBVS illis, accepit IESVS panem, & gratias agens benedixit, ac fregit, deditque Diſcipulis

pulis suis, & ait: Accipite, & comedite Hoc est corpus meũ, quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter, postquam cænauit, accepto calice gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes: Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Dico autẽ vobis, quia non bibam amodo de hoc genimine vitis, vsque in diem illum, cùm illud bibam nouum vobiscum in regno Patris mei.

FIGVRAE.

MELCHISEDECH *Sacerdos Dei altissimi obtulit panem & vinum.* Gen. 14.

præcepit Dominus populo Israël, vt ad suum Pascha, sumerent agnum sine macula, & assum igni comederent, cum pane azymo, & lactucis agrestibus. Exod. 12.

Pluit Deus manna de cælo, ad cibũ populi sui in deserto. Exod. 13.

PRO-

PROPHETIÆ,

Psal.77. PANEM Cæli dedit eis, panem Angelorum manducauit homo.

Psal.22. Parasti in conspectu meo mensam, aduersus eos, qui tribulant me.

Psal.110. Memoriam fecit mirabilium suorum misericos & miserator Dominus, escam dedit timentibus se.

Isaiæ.25. Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc, conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ.

Zach.9. Quid enim bonum est eius, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?

Prou.9. Venite comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis.

CONSIDERATIONES.

1. Punctũ. AMICI qui se tenerè inter se amant, si quando alter ab altero discessuri sunt, consueuerunt vnum diem inter se lęti agēre. Sic Saluator noster, cùm è mũdo esset abiturus, desiderabat, vt ipse dixit, hoc vltimum Pascha manducare cũ suis discipulis, vt cum ijs lætior esset: ac deinde pignus sui amoris & æternum sui ipsius memoriam relinqueret.

Considera Christum iam morti vicinum, quanto cum amore, quasi aliquis

quis Paterfamilias moriturus, conficiat testamentũ, & præcioſam hæreditatem corporis & ſanguinis ſui dilectis filijs diuidat. Vide, vt & æquales omnibus partes, & ſingulis totum largiatur. Cùm enim dat illis ſuũ corpus, simul dat omnes diuinos theſauros in eo latentes. Atque interim, dum bonus paſtor inaudita caritate gregem paſcit: non iam cibo mannæ veteris, neque aqua de petra, quod Moyſes fecit; ſed vero pane viuifici ſui corporis, & vero potu ſanguinis: ipſe viciſſim paſcit animas illorum, quas per hoc Sacramentum in ſe tranſmutat, ſecumque vnit, vt ſint vnum cor, & anima vna cum ipſo.

Vide quo amore arſerit potentiſſimus ille Rex gloriæ, Dominus Maieſtatis, in nos viliſſima ſua opera! Ille nobis, pulueri & cineri, cùm condidiſſet & donaſſet donum omnium rerũ creatarum, ipſos ideo Angelos in nobis cuſtodiendis occupaſſet: nihilque poſſet iam paternum ipſius & amantiſſimum cor aliud imaginari melius atque ſublimius, quo demonſtraret immenſam & beneficentiã, & flagrantiſſimum ſuum amorem, denique inuenit vt ſeipſum daret. Verè grande & liberale donũ eſt, Domine, ſeipſum dare: ſed ita dare,

vt

vt tu dedisti, id omnem liberalitatis modum excedit. Non fuit tibi satis, dedisse te nobis vt Regem & Dominum, quod tanti faciebat Propheta, cùm diceret. *Psal. 143.* *Beatus populus, cuius Dominus Deus eius;* Sed dedisti te pro patre, pro fratre, pro sodali, pro sponso, pro aduocato, denique quod nulla hominum intelligentia comprehendere, nullum cor optare potuit: dedisti te pro cibo, dedisti pro hominis precio, vt dares te aliquando etiam pro præmio, vbi satiatus homo æternæ tuę dulcedinis vbertate, nihil iam amplius possit desiderare.

Quod ad tempus attinet, ex eo similiter collige magnitudinẽ amoris Christi, in hoc Sacramento instituendo. Dum enim homines inter se agitant, quomodo maximos illi cruciatus parent; ipse totus in eo est, vt ipsis paret hunc dulcissimum & delicatissimum cibum: ab illis absynthium & fel illi, ab illo nobis dulcissimum mel & manna suauissimũ apparatur. Quàm meritò scriptum est, dulcis IESV, quia fortis vt mors est dilectio! Omnes aquæ torrentes acerbissimæ tuæ passionis, non poterant extinguere, imò nec reporis quicquã inferre, flammæ amoris tui. Poterat ergo mortis imago in agonia obseruari, pote-

rat

rat exprimere sanguinem: cor occupare nō potuit, quo minus tu grandi illo & pleno amoris dono nos donares.

Verè propheta ille tuus cecinit, te ex magna misericordia tua, diuinum hoc instituisse mysterium: vt sit memoriale, & quasi compendium omnium mirabilium operum tuorum. In omnibus enim rebus creatis elucent separatim, alibi tua potestas, alibi sapientia, bonitas alibi: In hoc ostendisti simul potentiam infinitam, admirabilem sapientiam, incomprehensam bonitatem. Potentiam, quod sub specie panis mortalibus omnibus in cibum dare potuisti sacrum tuum corpus integrè, vnà cum sanctissima anima, & summa diuinitate. Sapientiam quod reperire potuisti tam suauem rationem, tamque aptam & congruentem, quo teipsum homini donares, & eum tibi vinculis amoris astringeres. Bonitatē quod tā singulare beneficium & tantæ caritatis donum in nos contulisti O salutaris cibus, per quē filij hominū efficiuntur filij Dei! O sacer & adorande panis, qui reficis hominū mentes, confirmas corda, & spiritū exhilaras! O panis viuus & super substantialis, verè panis angelorum, quis mihi det, vt dignè te sumam & vel semel

famelicum cordis mei desiderium exsa-
turem? Duc me, suauis Domine in cellã
Can. 2. vinariam tuã, ordana in me caritatẽ, de-
ficit enim anima mea, nisi viuifica hac
& salutifera potione refocilletur.

Omnes sitientes venite ad aquas, &
qui non habetis argentum, properate,
emite, & comedite. Venite, emite abs-
que argento, & absque vlla commuta-
tione vinum & lac. Omnes, inquit, si-
tientes iustitiam, salutem, amorem De
vestri, venite ad dulces has & salutares
aquas: & quæ illæ sunt aquæ, nisi tu ipse
bone IESV fons aquæ viuæ, de qua a-
qua Prophetæ ore prædixisti: *Effusus sum*
sicut aqua. Tum enim sicut aqua effu-
sus es, cùm exinaniuisti teipsum formã
serui accipiens: cùm plenitudo diuini-
tatis tuæ nostri amore liquefacta diffu-
sa est, & se cum hominibus in hoc Sa-
cramento mirabili communicauit. Tu
es ille ros cælestis, illa desiderata pluuia
quam tantopere optabat Propheta
cùm diceret. *Rorate cæli desuper & nu-*
bes pluant iustum. Tu pluuia volũtaria,
tu manna suauissimum, quod Do-
minus de cælo pluit super hæreditatem
suam, super nos, qui fame deficien-
tes, vagi errabamus per huius mundi
solitudinem. tu denique aqua illa,

quæ

quæ animarum sordes eluit & expurgat, sitim desideriorum nostrorum leuat, & cupiditatum ardores temperat. Venite igitur omnes, & vt Propheta hortatur, hauriamus aquas cum gaudio de fontibus Saluatoris, vnde scilicet oritur aqua illa viua diuinæ gratiæ, quæ facit, vt ascendat anima ad vitam æternam: vnde oriuntur flumina omnia virtutum & donorum cælestium, etsi autem non habetis argentum, id est vires perfectas & sufficientes, ad restinguendos ignes tentationum; venite tamen & emite, liberaliter enim sine vllo precio dabitur vobis vinum & lac. Hoc est vinum illud & lac, ad quod nos sponsus inuitat. Bibite vinum meum, cum lacte meo. Comedite amici & bibite, & inebriamini carissimi. Quàm suauis est, mi IESV, lac istud! quàm magna multitudo gaudij & dulcedinis spiritualis, quam abscondisti sub hoc cælesti cibo! quàm dulciter & sobriè facit ebrios vinum caritatis tuæ, quo se inflammari sentiunt omnes, quotquot piè ad altare tuum accedentes, ori admouent hunc amoris calicem! vinum quod verè ebrietatem afferat, nam & lætificat cor hominis, & in anima, rerum omnium, quæ mundi sunt, æternam quan-

dam obliuionem efficit. O si placeat tibi, Domine mi, meæ quoque animæ gustandam dare vnicam saltem guttulam, huius vini & lactis cælestis! quàm subitò desiperent mihi omnes vanæ cõsolationes, & amarissimę mundi voluptates! quomodo cor hoc dulcedine dilatatũ curreret velociter viam mandatorum tuorum vsque dum eò perueniens vbi manifesta est gloria tua, quæ nunc huius Sacramenti velo tegitur, planè sitim desiderij sui exstingueret?

Consurge anima mea, exi de puluere humilis cõditionis, & de tui ipsius profunda consideratione: & considera quomodo ope huius arcani Sacramenti, diuinę suauitatis facta sis particeps, & iam sis sponsa vnigeniti filij Dei. Hic miser homo mensę assides Angelorum, in eãdem patinam in quam Deus, manum immittit: pascitur & vescitur cum ipso met Deo. Hic summa iungũtur infimis, terrena cælestibus: creator mundi caritatis vinculo creaturæ se colligat, homo mortalis mutatur in Deum.

COLLOQVIVM.

INFINITA sage Domino gratias pro hoc inęstimabili beneficio, quo voluit manere tecũ in hoc Sacramento, vt

esset

esset tibi cibus, medicina, & animi solamen. Pete quoque gratiam, vt quàm maxima puritate & pietate accedas & fruaris cælesti hoc cibo, vt efficiente eo mira illa in te quæ in animis dignè accipientium solet, in dies augearis illius amore, & in virtute huius cibi ambules maiori ardore & perfectione viam diuini seruitij.

DOCVMENTA.

1. *CHRISTVS accipiens panem prius gratias egit Deo Patri: ita & nobis antequam venerandum hoc Sacramentum sumamus, precibus animus præparãdus est & de tanto beneficio cælesti datori agenda gratia.*

2. *Vt Christum imitemur, opus est, vt ante initia bonarum actionũ gratijs actis Deum honoremus.*

3. *Nos ipsos comminuere affectuũ mortificatione debemus, & propriæ voluntatis abnegatione, nosq; ipsos Christo cibum dare, quemadmodum ille exinaniuit se, vt animæ nostræ fieret cibus.*

4. *In rebus huius vitæ aduersis, gratiæ & laudes dicendæ sunt Deo. Sicut Christus cùm accepisset calicem, quo supplicia ipsius indicabantur, gratias egit, & benedixit.*

5. Postquam Christus Apostolis dederat ex suo calice bibere, promisit, fore, vt vinum cum ipso nouum in regno suo bibant. Nos item si in hac vita bibamus rerum aduersarum calicem, qui nos assimilat Christo; in altera diuinorum ipsius gaudiorum participes erimus.

6. Quoniam in hoc Sacramento se Christus Panem Angelorum appellat, laborãdum nobis est, si quidem, vt par est, hoc pane vesci optamus, vt Angelorum in nobis puritas & mundities enitescat.

7. Corpus & sanguinem suum reliquit nobis Christus panis & vini specie; vt quemadmodum ex pluribus granis frumenti panis vnus, ex pluribus vuarum granis vinum conficitur: sic Christiani omnes, qui huius mysterij participationi se dignos exhiberent, omnes vno huius Sacramenti vinculo iungerentur, ea caritate, quam in primitijs Christianorum floruisse testantur Apostolorum Acta. Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna.

ME-

MEDITATIO SEPTIMA:

VT CHRISTVS INTER CAENAM proditionem sui aperuerit.

EVANGELIVM.

CVM hæc dixisset IESVS turbatus est spiritu, & protestatus est, & dixit: Amen dico vobis, quia vnus ex vobis me tradet, qui manducat mecum, Aspiciebant ergo discipuli ad inuicem, hæsitantes de quo diceret. Et contristati valdè, cæperunt singuli dicere: Nunquid ego sum Domine? at ille respondens ait: Vnus ex duodecim, qui intingit mecum manũ in catino, hic me tradet. Væ autem homini illi, per quem filius hominis tradetur. Erat ergo recumbens vnus ex discipulis eius in sinu IESV, quem dili-

Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22. Ioan. 13.

diligebat IESVS. Iunuit ergo huic Simon Petrus, & dixit ei : quis est, de quo dicit? Itaque cùm recubuisset ille super pectus IESV dicit ei: Domine quis est? Respondit IESVS: ille est, cui ego intinctum panem porrexero. Et cùm intinxisset panem, dedit Iudæ Simonis Iscariotis. Et post buccellam intrauit in eum Satanas. Et dicit ei IESVS: quod facis, fac citius. Hoc autem nemo scinuit discumbentium ad quid dixerit ei. Cùm ergo accepisset ille; exiuit continuò. Erat autem nox. Cùm ergo exisset, dixit IESVS: Nunc clarificatus est filius hominis, & DEVS clarificatus est in eo ; & continuò clarificabit eum.

FIGVRAE.

ACHITOPHEL *cùm admissus esset ad intima Dauidis Regis cõsilium, coniuratione contrà illum cum Absalone inita, autor fuit vt trucidaretur Dauid.*

PROPHETIÆ.

SI *inimicus meus maledixisset mihi sustinu-*

stinuissem vtique, & si is qui oderat me, super me magna locutus fuisset; abscondissem me forsitan ab eo. TV verò homo vnanimis, Dux meus, & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos. Psal. 54.

CONSIDERATIONES.

TVRBATVR hic ille, qui cælum serenat, tranquillat mare, ventos pacat, pacem & solatium adfert omnibus perturbatis & mærentibus animis. Heu mihi! quàm dura hæc sunt verba tua suauissime Domine, quàm amari cibi quos discipulis tuis ad cænæ finem reseruasti! Iam iam lac & mel prębebas; in sanctissimo corpore & sanguine tuo: nunc cum intelligunt, dulcem Magistrũ suum, custodem suum, Pastorem suum ab vno exipsis prodendum morti, accipiunt nimirum in hac oratione tua fel & amarissimum absynthium. *I. Punctũ.*

Miseros vos, ô discipuli, qui nunc tantum doloris concipitis, quod vnũ de vobis Magistri proditorem fore intelligitis; quanto acerbior esset vester dolor, si nunc sciretis, quid paulò post facturi sitis. Omnes ad vnum à magistro delabimini, vt sitis solitarii sicut oues absque pastore. heu! quæ vobis in illud tempus paratur cæna, multò acerbior hac

ipsa. In illa non cum magistro vestro accumbetis, neque, sicut modò, ex eodem cibo vnà cũ ipso comedetis: sed dispersi, trepidi, cum gemitibus & suspirijs carentes pane vitæ, quem nunc vobiscum habetis, manducabitis panem doloris, madefactum aqua lacrymarum. Et tibi, IESV bone, scienti omnia, quomodo sapiebant cibi huius mensæ, cùm videres venenum, quod in corde Iudas fouebat, & improbas impiæ mentis cogitationes? nullum sanè bolum gustabas, qui non proditionem, fel & mortem saperet. Sed tanta erat tamen vis manſuetudinis tuæ, vt permitteres manum proditoris tecum in eadem patina & cibo versari: atque vt illum minus pudore coram alijs perfunderes; dissimulas & tegis, solùm generatim verbis obscuris admonens, vt respiceret se aliquando, & scelus meditatum relinqueret.

Turbatur & dolet benignissimus Dominus nondum timore imminentium suppliciorum, quæ sibi apparata nouerat; sed mero amore & misericordia discipuli, qui ipsum proditurus, & quod consequens est, se perditurus erat. Vide quibus verbis id factum amplificat, prius signa turbationis ostendens, deinde

deinde pronunciat : *Vnus ex vobis me tradet*; Turbatur autem primò, quod vnus pereat. Tam enim angitur vnius interitu, quàm omniũ. Bonus planè Pastor, qui ad vnam ouiculã recuperãdam reliquit cęteras omnes in cælestibus illis montibus, & cum tanta sua fatigatione & molestia ad vnicam quærẽdam, in huius mundi loca sola descendit. Altera erat turbationis causſa, quod vnus hic esset ex suis, id est, ex ijs quos magis tenerè amabat, & quibus plus fidebat quibus denique plus gratiæ & donorum cælestium impertitus erat. Tertiò turbatur, sceleris atrocitate proditionis scilicet nefario & horrendo crimine, Quartò sua qui prodebatur conditione : vt qui esset amãtissimus illius Magister, & Dominus, & Deus.

O suauissime IESV, si in tantam perturbationem & mœrorem coniecit te vnius discipuli tua vna proditio, quantum credibile est perturbationis & doloris cordi tuo attulisse meas tam multas proditiones, & tot iniurias, quibus per totam vitam affeci Maiestatem tuam? & si interitu vnius tantum doles; quem cruciatum fuisse putabimus illum in anima tua perpetuum, cùm videres tam raros, quibus profuturus

esset sanguis tuus, tam innumeros contrà, qui eo contempto ad æternum ruituri essent exitium?

Vide quanta sit in D. N. suauitas & bonitas, in quot partes se vertat, vt vel vnicam animam ad interitum ruentem seruet. Vt enim Iudam auerteret à scelere, atque ad pœnitentiam reduceret: tentauit primò benefactis illum vincere & amore, vt cùm illum ad suam mensam admisit, cùm illi pedes lauit, cùm illum tam familiariter alloquitur. Deinde pudore: cùm indignitatem criminis illi indicat. *Qui mecum mittit manum in catinam, illi me traditurus est.* Denique miscet & minas, & timorem intentat, cùm inquit: *Væ homini illi* &c. è contra vide perfidiam & duritiam Iudæ, quem neque familiaritas, neque humilitas Christi, neque suauitas verborum, neq; paterna reprehensio, neque timor denique & horror insequentis vindictæ, à concepto facinore retardare potuerunt. Væ animæ, quæ incipit locum dare Diabolo, & à Christo recedere, ita enim seipsam indurat, vt salutis sibi omnem spem & rationem ferè præcludat.

COL-

COLLOQVIVM.

PETE à Christo D.N. vt quoniam tot modis vsus est, bonus ipse Pastor, vt à peccato discipulum reuocaret ad Pœnitentiam; te quoque abstrahat ab errore defectuum. Simul vires tibi largiatur, vt inimicum, perpetuò ad nos fallendos intentum, & incautos ad præcipitium peccati adducere cupientem, fortiter pugnando vincas, vt sic ipsius diuina gratia subleuatus, ad eam peruenias claritatem, qua electi eius in cælo fulgent.

DOCVMENTA.

1. *CVM indigni ad sacram mensam accedimus: tum manus tradentis Christum, est in mensa cum ipso. Sic enim in speciem simulamus, nos inter amicos cupere cum illo cænare; reuera lictoribus illum per peccata nostra ad Crucem tradimus.*

2. *Christi lenitatem imitabimur, si nõ subitò commoueamur, & ad pœnam proximum & fratrem damnemus; cùm vel imperfectionis aliquid in ijs videmus, vel iniuriam accipimus. Mansuetus homo potius illum cum amoris significatione sub-*

leuabit, & preces ad Deum fundet, vt gratia inter ipsos redintegretur.

3. Misit primùm Diabolus cogitationem proditionis in cor Iudæ, deinde ingressus est ipse ad rem perpetrandam. Principijs cogitationum malarum, & Diabolicarum suggestionum obstemus: ne si cum delectatione ijs immoremur, paulatim aperiamus illis ostium consensus, quo dæmon ingressus omnino nos spoliet gratia.

4. Peragamus opera nostra luci, non in tenebris nocturnis, quod Iudas fecit. Nihil in abdito faciamus, quod idem coram omnibus non essemus facturi. Similiter homines Spiritui dediti & religiosi, caueant, ne quicquam ex actionibus pijs, quas priuatim etiam exercent, occultum esse velint, vt id nec Patribus spiritualibus, nec Superioribus aperiant: ne & ipsi, Iudæ instar, in fraudem illecti à Diabolo, præcipitium aliquod incurrant.

5. Erubescamus apud nos, quod tam parum imitemur caritatem Christi, occultè ille reprehendit, nec proditorem vult prodere: at nos peccata nostra ignota esse cupimus, de alienis & promptè fabulamur, & ea nota esse volumus omnibus.

6. Ioannes, qui gratiam significat, requiescebat in sinu Christi, cui Christus, quæ

quis esset proditor, secretò aperuit. Laboremus & nos per cordis puritatem, vt apud Dominum gratiosi simus. Sic enim per cõtemplationem digni erimus, qui & nunc in dulcissimo Christi pectore cõquiescamus, & olim ad arcana illa cælestia admittamur.

7. *Christus passionem & depressionem suam appellat gloriam & claritatem, qua glorificabit illum Deus. Quàm diuersa sunt iudicia Dei & hominum! Homines claritatem suam in honoribus, amplitudine, & rebus secundis huius vitæ collocant: Deus æterna Sapientia, in contemnendo seipsum & patiendo.*

MEDI-

MEDITATIO OCTAVA.

VT INTER CAENAM DE *scandalo discipulorum, & Petri negatione prædixerit.*

EVANGELIVM.

Luc. 22. EACTA est autem & contentio inter eos, quis eorum videretur esse maior. Dixit autem eis IESVS: Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent benefici vocantur. Vos autem non sic: sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor, & qui præcessor est, sicut ministrator; vt ego, qui in medio vestrum sum sicut qui ministrat: Vos autem estis, qui permansistis mecum in tribula-

bulationibus meis, & ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater, regnũ, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo; & sedeatis in maiestate super thronos iudicantes duodecim tribus Israel. Filioli adhuc modicũ vobiscum sum. *Ioan. 13.* Quæretis me, & sicut dixi Iudæis, quò ego vado, vos non potestis venire. Et vobis dico modò. Dicit ei Simon Petrus; Domine quò vadis? Respondit IESVS: quò ego vado non potes me sequi modò. Dicit ei Petrus: Quare non possum te sequi modò? Animam meam pro te ponam. Respondit ei IESVS: Simon, *Luc. 22.* Simon, ecce Satan expetiuit vos, vt cribaret, sicut triticum. Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Tunc dixit illis IESVS: Omnes vos scandalum patiemini in me ista nocte. *Matt. 26.* Respondens autem Petrus ait illi: Etsi omnes scandalizati fuerint in te, nunquam scandalizabor: tecum paratus sum in carcerem, & in mortem ire.

Marc.14. Respondit ei IESVS: Amen dico tibi, Petre, in hac nocte, priusquam gallus bis vocem dederit, ter me es negaturus. At ille amplius loquebatur: Et si oportuerit me mori tecum, te non negabo. Similiter & omnes discipuli dixerunt.

HIS peractis, Dominus sermonem habuit bene longum, exhortans dulcissimè Discipulos ad suum, & mutuum inter ipsos amorem, promittens missurum se alium paracletum, qui maneret cum ijs, & doceret eos omnem veritatem. Deinde pacem illis impertiuit, exhortans ad vnitatem in ipso, qualis est palmitis in vite, vt maiorem fructum ferant. Adhæc prædixit illis persecutiones & aduersitates, quas pro ipsius nomine essent perpessuri; ad quorum perpessionem eos suo exemplo animabat. Postremò orationem ad Patrem instituit, petens, vt eos custodiret, sanctificaret, & ab omni malo custodiret, vt ipsi vnum essent, sicut CHRISTVS ipse cũ Patre est.

FIGVRAE.

Gen. 48. & 49. MORITVRVS *Patriarcha Iacob, stantibus in orbẽ omnibus filijs, prætulit*

tulit minorem fratrem Ephraim, maiori Manassi; deinde cùm multa futura prædixisset, bene illis precatus est.

CONSIDERATIONES.

VIDE discipulorum inoptiam. Tempore alienissimo, cùm magistro iam supplicia & mors immineret, cùm is proditionem machinaretur, qui vnus ex ipsis esset; tristia autem negotia, dolorem & moriendi cum Christo desiderium potius omnibus adferre deberent: illi interim horum omnium obliti, maximeq; immemores, quo exemplo paulo ante ad altissimam humilitatem illos excitasset Magister, ambitiosis contentionibus inter se pugnant, quis illorum esset maior. O inanes hominum mentes, quàm parum efficere aut consistere possumus, si auxilia & fundamenta gratiæ nobis absint! *1. Punct.*

Considera contra Saluatoris benignitatem & lenitatem. Non succenset discipulis, non asperè in eos inuehitur, non exprobrat, quod tamen exiguum erga se demonstrarent amorem: sed monet familiariter, & amicissimè illos docet: primò ambitionem vitium esse hominũ ethnicorum, & secularium: deinde suum exemplum in medium producit, quòd

quòd cùm esset is, qui erat, tamen demittat se ad humilia seruorum officia. Tertiò promittit illis honores alios & Regnum quoddam cæleste, longè præstantissimum. Ex quibus intelligere est, quàm vtilis & necessaria sit humilitas, quando Christus, ipso vitæ exitu, tantoperè eam verbis, exemplisq; commendat & inculcat.

Considera, quàm tener fuerit Christi in discipulos amor. Etsi enim illi nequaquam in amore paria facerent: tamen, quod se fideliter secuti, in tentationibus cum ipso permansissent; promittit illis præmium, non amplitudinem, & opes terrenas, vt olim antiquis Patribus, sed regnum quoddam cæleste, & regnum illud ipsum, quo ipse ab æterno Patre præmij loco donandus erat. Quid hoc honore maius concipere potest mens hominis? quam maiorem potentiam desiderare, quam vt ipsius præmia æqua sint præmijs filij Dei? vt cohæres sit Christi, & comedat de mensa Christi cum ipso? atque adeo sicut ipse alibi ait. Faciet Dominus seruos suos discũbere, & ipse seruilem in morẽ cinctus ijs ministrabit. O quàm exiguo labore tantũ nobis bonũ possumus comparare! Felix anima, quam ad sibi seruiendũ Christus

Rom. 8.

Luc. 12.

ſtus vocat, eamque ſua gratia iuuat, vt patiatur,& perſeueret cum illo in tentationibus vſque ad finem: vt poſtea dignam eam efficiat, quæ ſecum gaudijs & regno ſempiterno fruatur.

Omnes vos, inquit, *hac nocte ſcandalum patiemini in me.* Vide quomodo tacitis incrementis angores in pectore Saluatoris augeantur. Paulò ante turbatus eſt, quòd vnus de ſuis eum proditurus eſſet, iam dolet, quod omnes in eo ſcandalum paſſuri ſint; quodque mordet acrius, cùm is quem reliquis omnibus ipſe præpoſuerat, poſt paulò tam contemtim ipſum negaturus, atque adeò adiuraturus ſit, non noſſe ſe hominem. Vide vt vbique nouas mœroris cauſſas bonus IESVS inueniat. Si ſe conuertit ad Patrem, videt illum exerto iuſtitiæ gladio, vibrare ictum in ſe propter peccata noſtra: ſi ad Matrem, tam videt illam ſui amore mœrentem, vt ipſa potius cõſolatore indigeat, quàm vt quicquam conſolationis adferat Filio: Si ad amicos & diſcipulos, videt mox fore, vt omnes ſcandalizati ipſum deſtituant: ſi denique ad fructum ſuæ paſſionis, vt ſaltem ex ijs, quibus ſalutẽ daturus eſſet, non nihil capiat ſolatij, eheu! Domine mi, quàm raros videbas fore, quibus tam acerba

acerba ſupplicia prodeſſent: at contrà quanto cum dolore animi tui videbas, tam multos fore, qui paſſionem hanc tuam contemnerent, & pedibus conculcarent.

Etiamſi omnes ſcandalizati fuerint, inquit Petrus, *ego nunquam ſcandalizabor: & ſi neceſſe erit, tecũ & in carcerem & in mortem ibo. Similiter & omnes diſcipuli dixerunt.* O Redemtor mundi, quàm grandes tibi oſtentant animos diſcipuli tui; quos mox abijciunt! quantum inter dictum & factum intereſt! Oratio ſanè illorum erecta: facta verò debilitata concidunt. Affirmant mortem pro te obituros, neque vnquam te relicturos: mox ipſi fugiunt, tu pro illis mortem ſuſcipis. Sed ſufficit tibi, Domine benigniſſime, quod quæ modò pollicentur, ea reponas in ſequentia tempora cum poſt tuam Aſcenſionem, toto orbe diſperſi, martyres pro te morientur tum præſtabunt, quæ modò pollicentur: tum pro amore tuo ad carceres & ad mortem ibunt, at modò ne exige ab illis promiſſa: omnia enim contra quàm dicunt, facient. Miſeri diſcipuli; imminet hora, hora illa tenebricoſa, quæ in vobis obſcuret lucem fidei, & vos vobis, quam ſitis infirmi & imper-

perfecti, aperiat. Ambulatis iam vna simul via, mox per multas diuersi fugietis: ambulatis iam vt fideles discipuli cum Magistro; mox & fidelitate & Magistro carentes reuertemini.

COLLOQVIVM.

PETES à Christo per illam benignitatem & patrium amorem, quo misertus infirmitatis suorum discipulorum, spirituali morbo medicinam fecit, ne sinat te vllo vnquam vento superbiæ inflari, neque vlla tentatione à cœpta ipsius seruitute depelli: sed vt cognita tua imbecillitate & inconstantia, in solo ipso spem ponas, illi soli adhæreas, vt gratiâ ipsius adiutus & confirmatus, euadere possis omnes Diaboli insidias, & securus ad regnum illud peruenire, quod parauit ijs, qui humiles sunt corde, & amore ipsius constantes in tentationibus & miserijs huius vitæ perstiterunt.

DOCVMENTA.

1. QVANDOQVIDEM *non puduit Christum suis seruire discipulis, nos item, si pudet alterius cuiusquam hominis imitari humilitatẽ, Christi saltem*

tem humilitatem imitari non pudeat.

2. Apostolis promisit Christus regnum, non quod ipsum secuti essent, sed quod secum in tentationibus permansissent. Parum est bene cœpisse, nisi perseueres; nec is qui tantùm sequitur Christum, sed qui patitur & affligitur pro ipso, afficitur præmijs.

3. Diabolus cupit tentationibus cribrare omnes homines, sed imprimis seruos Christi ab illo ad aliorum vtilitatem & auxilium destinatos. Vigilemus ergo, quia non dormit inimicus.

4. Christus rogauit pro Petro, vt conuersus alios confirmaret. Et nos, si quam à Domino gratiam consecuti sumus, non eam pati debemus ociosam esse, sed adhibere ad auxilium & salutem aliorum.

5. Ne putemus nos esse tutos, quantumcunq; in virtutibus processisse videamur, sæpe enim accidit, vt qui reliquis virtute longè antecellere putantur, turpius corruant.

6. Permisit Dominus Petrum columnam illam magnam labi, pro nostra instructione. Primùm vt disceremus nõ nobis fidere, aut de nostris viribus magnificè sentire, nostra imbecillitate cognita. Deinde vt plus Christo, ijsq; qui vice ipsius nobis præsunt, quàm nostro iudicio

credamus. Tertiò vt imprudentem eorum audaciam reprimeret, qui res magnas scire, & facere melius quàm alij volunt. Quartò, vt quibus aliorum cura & gubernatio commissa est, suo experimento discant, quomodo subditorum infirmitatibus, si quando labantur, compati debeant.

MEDITATIO NONA.

DE CHRISTI ITINERE *ad hortum Gethsemani.*

EVANGELIVM.

HAEC cùm dixisset Iesus, egressus est cum discipulis suis secundum consuetudinem trans torrentem Cedron in montem Oliueti, & venit in villam cui nomen Gethsemane, vbi erat hortus, in quē intrauit ipse & discipuli eius; quibus ait: sedete hic donec vadam illuc & orem: & assum-

Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22. Ioan. 18.

assumpto Petro, & duob. filijs Zebedæi Iacobo & Ioanne, cœpit contristari & mœstus esse, pauere & tædere, & ait illis: Tristis est anima mea vsque ad mortem. Sustinete hic & vigilate mecum, & ipse auulsus est ab ijs, progressus pusillum, quantum iactus est lapidis, positis genibus procidit in faciem suam super terram.

FIGVRAE.

2. Par. 20. *IOSAPHAT Rex Iuda, intelligens Moabitas & Ammonitas magnum exercitum contrà se ducere, plenus timoris & pauoris, prostrauit se in oratione coram Domino, obsecrans vt manus hostium posset euadere.*

PROPHETIÆ.

Psal. 54. *COR meum conturbatum est in me, & formido mortis cecidit super me.*

Psal. 87. *Repleta est malis anima mea; & vita mea inferno appropinquauit.*

CONSIDERATIONES.

1. Punctũ. ASPICE anima mea IESVM tuum spon-

sponte, vt agnum mansuetissimum, ad sacrificium sui proficiscentem: sequentes item discipulos trepidos cum gemitibus & suspirijs. cogita, quàm suauibus modis inter ambulandum eos Dominus hortetur & soletur. Heu! quàm durum erat pietati discipulorum, à suauissimo Magistro separari, quàm amaræ illis aboriebantur lacrymæ. Vicissim, Christus benignissimus Pastor, cùm sua caussa in tãto angore videret oues suas, non poterat, quin lacrymaretur. Accede & tu, anima mea, &, quando aliter non potes, lacrymis saltem & suspirijs, Dominum tuum pro te ambulantem ad mortem crucis, prosequere.

Considera, quanto cum desiderio, & animi promptitudine viam hanc ad hortum, Dominus noster iniuerit, vt opus illud tantopere à se exoptatum nostrę redemptionis inchoaret. Ad hortum ibat, vt, vbi primus homo per inobedientiam libertatem amiserat, ibi nobis ipse eam per obedientiam recuperaret. In horto mundus infirmatus est, in horto Christus eidem principium dedit salutis. Ibat, igitur simul Redemptor mundi, simul impellebatur & portabatur: ibat, quia sponte se neci offerebat. Oblatus est, quia ipse voluit: & quia

ſponte ibat, cõmoditates omnes ſponte prębuit, vt illum reperire, & in poteſtate habere poſſent. Impellebatur etiam, & portabatur partim ab obedientia Patris, quod illis extremis poſt cænã verbis ad diſcipulos indicauit? *Vt ſciat mundus, quia ego amo Patrem, & quod ille mihi mandauit, hoc facio; Surgite eamus hinc:* partim à vehementia amoris in nos ſui, de qua paulò ante dixerat: *Maiorem hac caritatem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Sed tua, Domine, caritas, maior hac fuit, qui poſuiſti animam nõ ſolùm pro amicis, ſed etiam pro inimicis. Huius caritatis ea vis fuit, vt eum non modò perduxerit ad ferendam prompto animo mortem; ſed etiam toto vitæ tempore accenderit illum deſiderio, quo optabat aliquando tempus extremum aduenire, quod ipſe his verbis expreſſit: *Baptiſmo habeo baptizari; & quomodò coarctor, vſq; dum perficiatur?*

Ioan. 14.

Ioan. 15.

Luc. 12.

In hac via cœpit Chriſtus ſigna dare timoris & triſtitiæ. *Triſtis eſt,* inquit, *anima mea vſq; ad mortem.* Triſtis etiam tu ſis, anima mea cum anxio IESV. Vide vt immutetur diuina illa facies, vt palleſcat, vt acerbus animi dolor vix illum loqui permittat. O fortitudo Patris!

tris! ô lætitia Angelorum! quid tibi timendum, aut dolendum est? Mortem times? at quo fine in mundum venisti, & sumsisti nomen salutare, nisi vt tua morte perderes nostram? Quod si tu mortem times, quid me fiet? quis soluet debita peccatorum meorum? Non ita pridem mortis desiderium præ te ferebas, vrgebas proditorem vt festinaret: iam videris tergiuersari, & refugere? Nimirum, Domine mi, non erat tuus hic timor & mæror: sed noster, vt contra fortitudo nostra in rebus difficilibus non nostra est, sed tua. Tu ea parte tristitiam sentis, qua nostræ naturæ es particeps: nos fortes sumus tuæ diuinitatis virtute. Tu verus Adam, Ecclesiæ sponsæ tuæ, costam tuæ fortitudinis dedisti, & in vicem sumsisti carnem nostræ infirmitatis.

Considera quanta fuerit vis huius doloris in animo Christi: vt qui non solùm doleret, quòd vitam esset amissurus; sed etiam de peccatis totius orbis tantum doloris & pænæ sibi sumeret, quantum debebatur peccatis omnium mortalium. Rectè ergo dicebat, tristem se esse vsq; ad mortem: quod tã esset ille dolor vehemens, vt vel solus ad mortem inferendam sufficerit: Verè Domi-

Thren,2. ne, magna erat vt mare contritio tua, quia magnum erat & vulnus noſtrum, & magnus amor tuus, qui te ad vulneris noſtri medicinam, tantum dolorem ſuſcipere impulit.

Cùm iam propè adeſſet loco orationi deſtinato, plenus triſtitiæ prociditin terram. Intellige quàm grauia fuerint peccata tua, quæ cùm ſuis humeris impoſuiſſet Chriſtus, ſub onere debuit incuruari, & ad terram vſq; inclinari. Simul vide, quàm elata fuerit tua ſuperbia, pro qua apud diuinam iuſtitiam luenda, neceſſe fuit altiſſimi Dei maieſtatem eo vſque deprimi, vt diuiniſſima facie in terra iaceret. O bone IESV, ô ſuauis amator hominum, quantum moleſtiarum & angorum tibi ſumis, vt nobis diuina gaudia pares? quàm profundè deprimis te, vt nos extollas: quanti maioris oſtendis te facere noſtros pedes, quàm tuum diuinum caput. Paulò ante enim volebas pedes Apoſtolorũ reponi in tuum ſinum, in quo feliciter cõquieſcunt Angeli: at tu iam humi proſtratus ibi ſacratiſſimum caput reponis, vbi pedes ab hominibus ponuntur.

COLLOQVIVM.

ROGABIS Chriſtum, vt quoniam propter

propter tua peccata contristari, & propter tuam infirmitatem infirmus fieri voluit, gratiam tibi concedat, qua fortiter, & libenter pro ipsius amore toleres omnes dolores & molestias, quas illi visum fuerit permittere, vt tibi eueniant. Simul, vt ex suo illo amoris sensu nonnihil cum tuo corde communicet, vt & tu cum illo de ipsius tristitia & anxietate pro te susceptis, dolere & compati possis; eundemque dolorem de proximorum & fratrum infirmitate aut indigentia concipias & sentias.

DOCVMENTA.

1. *NEQVAQVAM seruis Dei desperandum est; si quando tentationis tempore, etiam se timore, & animi quadam deiectione impugnari sentiant, vt enim nobis præberet exemplum, voluit Christus redemtor noster ipse timore & tristitia affici.*

2. *Non tam tristis est Saluator de sua morte, quam cupidè optabat, quàm de nobis. Debemus ergo & nos ipsum imitantes, tristitia simul & misericordia de proximorum spirituali damno aut indigentia moueri.*

3. *Si Christus ex amore nostri tantum dolorem & anxietatem sine vllo solatio*

sentire voluit; decet nos pro amore ipsum nostro, proq; nostra salute voluptates, & inania mundi gaudia contemnere.

4. Si cum deuotione cupimus orare, intrandũ est cordis secretum: purgata mente à terrenis affectibus, & à multorũ conuersatione, etiam amicorũ discedendum: vt Christus à carissimis discipulis abijt.

5. Discamus exemplo Christi frenorationis coercere exultantes perturbationes, ne vsq; ad animã penetrent; sed maneant in solis sensibus sub imperio voluntatis.

6. Si quando, in actionibus aut laboribus pro Deo susceptis, tadium nobis aliquod obrepat aut tristitia; ne despondeamus animum, neq; putemus idcirco nostros labores merito aut fructu carere. Solemur nos exemplo Christi qui in ipso opere redemtionis nostra tadium & quoddam velut fastidium sensit.

7. In omnibus molestijs & tentationibus ad preces confugiendum est; quarum ope consequemur, vt vel prorsus onere hoc liberemur, vel certè ea nobis virium fiat accessio, vt facilius perferre, & fructum ex rebus aduersis capere possimus.

MEDI-

MEDITATIO DECIMA.

DE ORATIONE CHRISTI in horto.

EVANGELIVM.

ORabat IESVS, vt si fieri posset, transiret ab eo hora, & dixit: Abba Pater, si possibile est, transfer hunc calicem à me, veruntamen non mea, sed tua voluntas fiat. Et surgens ab oratione venit ad discipulos suos, & inuenit eos dormientes, & dixit Petro. Simon dormis? sic non potuisti vna hora vigilare mecum. Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est; caro autem infirma. Iterum secundò abijt, & orauit eundem sermonem dicens: Pater mi, si non potest *Matt.26. Marc.14. Luc.22.*

hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua,& venit iterum,& inuenit eos dormientes, erant enim oculi eorum grauati. Et ignorabant quid responderent ei. Et relictis illis, iterum abit tertiò, & orauit tertiò eundem sermonem.

PROPHETIÆ.

Thren. 3. AEDIFICAVIT *in gyro meo, & circundedit me felle, & labore; sed & cum clamauero, & rogauero, excluſit orationem meam.*

Psal. 68. *Sustinui, qui simul contristaretur, & non fuit: & qui consolaretur, & non inueni.*

CONSIDERATIONES.

1. Punctũ. SALVATOR noster, vt verus Pontifex, oneratus totius mundi peccatis, accedit ad thronum paternæ gloriæ, & profunda cum humilitate, Patrisque reuerentia, cum clamore valido & lacrymis offert illi suas orationes. Sæpe aliàs benignissimus IESVS, vt aduocatus noster, pro nobis orauerat, semper exauditus erat: nunc, pro se rogans, non auditur à Patre; de quo scriptum

Ioan. 3. est. Sic illum dilexisse mundum, vt Filium

lium ſuum vnigenitum daret. Quod cùm optimè ſciret Chriſtus, & Patris voluntatem fieri deſideraret, noluit pro ſe exaudiri, vt pro nobis exaudiretur: amauit magis noſtram ſalutem, quàm vitam ſuam. Rogat ergo Patrem: *Pater, ſi fieri poteſt, transfer à me calicem hunc.* Nollet anima mea apparatam ſibi ſuppliciorum acerbitatem: ſed hæc mea petitio Pater non proficiſcitur à mea voluntate, quæ naturali huic affectioni non aſſentitur: fiat ergo quod ante omnia ſæcula decretum eſt à te, vt patiar, & totam huius calicis amaritudinem exhauriam.

O ſingularem obedientiam! ô bonitatem noſtri Redemtoris inexplicabilem! quantum tibi pro tanta in nos caritate debemus? Si enim tu non admouiſſes os huic calici tam amaro; nemo vel in cælo, vel in terra repertus fuiſſet, qui potuiſſet ebibere, niſi tu admota ſuauitate labiorum tuorum, amaritudinem miſeriarum, dolorum & tentationum, quibus vita noſtra ſcatet, temperaſſes; quæ patientia aut fortitudo ad ea toleranda ſatis eſſe potuiſſet?

In tanto angore non amittit diſcipulorum ſuorũ memoriam, amantiſſimus Magiſter. Sed quodammodo magis de

illis, quam de se est sollicitus. Surgit ab oratione, inuisit illos, cùm dormientes inueniret, dicit Petro; qui plus animi & fidei quam cæteri Domino suo promiserat, *Simon dormis? non potuisti vna hora vigilare mecum?* quasi dicat: tu qui ante iactabas vitam pro me ponere paratum esse, nunc, cùm in maximis sum angustijs, somno vinceris? non ita Iudas proditor meus, qui somno excusso in hac tota nocte vigilat, vt arma comparet, sollicitet turbas, quas ad me capiendum ducat. Heu! mi Domine, quanto vigilantiores & cautiores in sceleribus patrãdis sunt dæmonis mancipia, quàm serui tui, in perficiendis tuis mandatis? Anima mea, quàm sæpe & tu, dũ somnum teporis & negligentiæ tuæ dormis, audisti vocem hanc optimi tui IESV, qui dulciter te alloquens: *Simon*, inquit, *dormis?* quasi dicat: Diabolus aduersarius tuus, tanquam Leo rugiens quærit te deuorare: ego verò, vt te præsenti morti eriperem, illius crudelissimis morsibus meum corpus obieci, dedi dilectam animam meam in manus inimicorum suorum: & tu, quasi tua res non agatur, dormis? nec te excitat vlla, neq; de salute tua, neque de meis pro te laboribus & doloribus cogitatio?

Con-

Considera insignem Christi in suos indulgentiam, quos inueniens dormientes non asperè obiurgat, sed moderatè fert pigritiam & imbecillitatem eorum. Vide item, vt verè fidelis Pastor oret, & curam gerat ouium suarum. vt hæ securè dormiant, ipse vigilat: ille solus pugnat, vt hæ quiescant: ille se feritati luporum, sicut agnus innocens, obijcit, vt gregem totum à morte defendat, eique salutem impertiatur. Quàm præclarè illud scriptum est de te, Domine, quod in finem nos dilexeris, & in exitu maxima signa caritatis edideris.

Abit ad orationem Christus, mox ad discipulos iterum redit, & inuenit tamen dormientes. Dole anima mea cum dolente Domino. Vide vt pro te tot circumuentus angustijs, hic impugnetur terrore imminentis mortis, illic neminem inuenit, qui ipsum auscultet, nedum soletur aut adiuuet. Abit igitur IESVS plenus mœrore, & redit à discipulis ad Patrem, à Patre rursum ad discipulos, & inuenit clausos omnes aditus consolationum, vt rectè dixerit per Prophetam conquerens, *Circumspexi, & non erat auxiliator: quæsiui, & non fuit, qui adiuuaret.*

Ingredere hortum hunc, anima mea,

in quo Christus pro te iacet in oratione. Ibi videbis apertum librum vitę, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ reconditi. ibi videbis illud virtutum omnium speculum, profundissimæ humilitatis, caritatis flagrantissimæ, summæ obedientiæ & patientiæ! Ibi videbis fortissimum illum Dauidem Dominum tuum, & Deum tuum, ignito armatum desiderio, ardentem scilicet immittere se in locum pugnæ, & pro populo suo sanguinem & vitam ponere. Vide vt amore confirmatus, solus descendit ante ipsos etiam hostis in certaminis locum, vbi priusquam sanguinarias in eum Iudæi manus inijciant, ipse vltrò tantum sibi cruciatum assumit, vt illius dolori nullus vnquam par fuerit. Heu! quibus angustijs dulcissimum Saluatoris tui cor premebatur? quos cruciatus & dolores in illo timoris & amoris torculari sustinuit? Quàm dolenter pars animæ illius sanctissimæ superior, in qua est ratio, compatiebatur inferiori, in qua est sensus! quam fideliter apud Patrem pro illa deprecabatur, dicens: *Pater si possibile est, transfer à me calicem hunc.* mox tamen miseram carnem reconcilians spiritui: *Non mea voluntas fiat, sed tua.* O fortem & magnanimem

nimem resignationem, & oblationem Saluatoris nostri! Verè, mi Domine, magna caritas tua carnē & sanguinem vicit.

COLLOQVIVM.

ROGABIS Christum D. N. per profundam illam humilitatem & resignationem, qua Patrem orauit: vt tibi similiter gratiā largiatur in omnibus molestijs, tentationibus, & rebus aduersis, humilies te sub potenti manu illius, & ab omni tui ipsius respectu te cohibens, resignes te in rebus omnibus diuinæ ipsius volūtati. Item, vt gratiam tibi det, qua teporem & somnolentiam vincas: vt deinceps maiore diligentia & ardore in via Dei ambulans non vincaris; sed victoriam de omnibus tentationibus reportes.

DOCVMENTA.

1. *NEQVAQVAM cessandum aut desperandum est, si non repente preces nostræ exaudiantur persistendum potius & sæpe ac sæpius petenda gratia. Frequenter enim quod initio negatur, in fine conceditur.*

2. *Orationes nostræ quicquid petamus à Deo, semper coniunctæ esse debent, tum certæ in Deum spei, vt ad ipsum velut*

Patrem

Patrem cõfugiamus; tũ obedientiæ & nostri ipsorum in diuinam voluntatem resignationi, vt cum Christo dicamus: Pater non mea, sed tua voluntas fiat.

3. *Ita debemus exercitationib. nostris spiritualibus intenti esse, vt simul de salute proximorum solliciti simus, nostris cohortationibus aliísq; caritatis officijs illos adiuuando, vt Christus fecit Apostolis.*

4. *Vigilandum est in cordis & sensuum custodia, & sæpe orandum, ne tentationibus victi fugiamus, quod discipuli Christi fecerunt.*

5. Non potuisti vna hora vigilare mecum? *dicebat Petro Christus. Magnum dedecus & erubescendum eorum, qui seruitutem Dei professi tepidi sunt & remissi: quãdo huius sæculi homines tot annos, imò totam vitam consumunt in offendendo Deo, vt præmia olim recipiant supplicia æterna. At quos Dominus elegit, vt vna hora secum laborent, vt olim det illis pro præmio Regnum cælorum sine cura sunt, somnum negligentiæ suæ dormientes.*

6. *Quanquam omnes, qui Deo negligenter seruiunt, in iustam incurrant reprehensionem; tamen qui alijs tum ad gubernationem, tum ad exemplũ præpositi sunt ij & grauius peccant, & acrius à*

Domi-

Domino obiurgabuntur.

7. *Cùm oramus, exemplo Christi admodum nos deprimere debemus, agnoscentes indignitatem nostram. Oratio enim humiliantis se nubes penetrabit.* Eccles. 35.

MEDITATIO VNDECIMA.

DE CHRISTI IN HORTO agonia.

EVANGELIVM.

ET apparuit Angelus de cælo confortans eum, & factus in agonia prolixius orabat: Et factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram: Luc. 22.

FIGVRAE.

IACOB *Patriarcha, veniente illi obuiam*

obuiam fratre Esau, trepidus confugit ad orandum Deum: qui misit Angelum, à quo confirmatus est, cùm diceret: Si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra hominem praualebis.

PROPHETIÆ,

Psal. 21. *SICVT aqua effusus sum, & dispersa sunt omnia ossa mea: factum est cor meum tanquam cera liquescens; in medio ventris mei, aruit tãquam testa virtus mea.*

Zach. 1. *Vidi per noctem, & ecce vir ascendens super equum rufum, & ipse stabat inter mirteta, quæ erant in profundo.*

CONSIDERATIONES.

1. Punctũ. CONSIDERA, quomodo Deus tuus, qui solus possidet beatitudinem, & suarum consolationum copia Angelis lætitiam adfert, & omnes afflictos animos mœrore leuat, cùm assumsisset sibi infirmitatem carnis tuæ, & dolores atq; acerbitates iniquitatum tuarum sic planè se hominem ostendat, vt quasi oblitus etiam se Deum esse, non recusset excitari & confirmari à creatura

tura sua. O Angeli Dei, tune illum confirmas, qui verus & vnicus est tuus consolator? non stupes, cum aspicis illum infrà te iacentem in terra, quem supra vos in cælo collocatum omnes cum tremore adoratis & colitis? Quàm verè de te dixit, Domine, Propheta: quod minor factus sis Angelis, quando ab Angelo confortari non dedignatus es! Bone IESV, quātum te demisisti pro me, in quam profundum locum descendisti! Verè languores nostros tulisti, & dolores nostros ipse portasti. Vt enim languori nostro medereris, tantum pauoris assumsisti, vt etiam sanguinē sudares: vt dolores tolleres, tantum tibi cruciatum imposuisti, vt mortem oppeteres.

Psal. 8.

Isaiæ. 53.

Considera anima mea angorem Redemtoris tui. Eo enim momento, cum sibi ob oculos poneret, crudelissima quę tenerrimo corpori parabātur supplicia: simul omnia scelera & flagitia detestāda mortalium omnium: de quibus tanto acriore stimulabatur dolore, quanto maior erat in ipso caritas & zelus honoris paterni: deinde cùm præuideret tot ingratos animos fore, qui non agnoscerent, nedum ad suum fructum acciperent tam grande beneficium, & medicinam

medicinam tanti precij: deniq; cùm nefarium & impium crimen præuideret & secuturam dispersionem populi, qua tam grauiter Deus in illũ erat animaduersurus, sancta illa anima tantis distenta est doloribus, vt perturbatis sensib. & viribus sanctissimi corporis eneruatis, tenera caro ex omni parte deduceretur, & sanguini erumpenti vias aperiret, qua copiosius in terram defluereret.

Dulcissime IESV, quis fuit ille dolor tam acer, quod onus tam graue, quis tam crudelis morbus, vt tibi pro sudore exprimat sanguinem? Certè immensus amor tuus, & misericordia mei tantum tibi dolorem inflixit, graue peccatorum meorum onus fuit, terribile illud torcular, quò instar vuæ innocentissima caro tua pressa, pretiosum & salutarem illum liquorem effudit, noster denique morbus lethifer te ad tam amaram medicinam adegit.

Compatere anima mea dulci tuo IESV. Vide vt pronus humi iaceat, quòd iam pedes illum non sustineant, à capite ad pedes vsq; sanguinem stillans. Non est, qui illi opem ferat; non est qui diuinissimam faciem abstergat, qui vestem mutet, aut qui in hac extrema necessitate minimum illi solatij adferat. Tu saltem

tem quia pro te illum ad hos angores veniſſe intelligis, ſi cum ipſo ſanguinem non potes, lacrymas compaſſionis ſparge, quod ſi tanta eſt cordis tui duritia, tāta oculorum ſiccitas, vt lacrymas dare non poſſint, lacrymare tamen deſiderio, & pro lacrymis Saluatori offer hunc ipſum ſudorem ſanguineum.

COLLOQVIVM.

ROGA Chriſtum Dominum, per illam ſummam triſtitiam, quam in horto aſſumſit, per ſanguinem quem ſudauit, per illas ardentes preces, & ſuper omnia per infinitum amorem illū, quo ad hæc omnia impulſus eſt, vt largiatur tibi donum orationis, vt in omnibus rebus dubijs & aduerſis, ad ipſum confugias, & extremo vitæ tuæ tempore, cùm terror mortis occupabit animū tuum, det tibi vires, & certam in ipſo fiduciam, atque vt tum dignetur mittere Angelum ſuum, qui te ab inimicorum vi defenſum, ad portum ſalutis tutò perducat.

DOCVMENTA.

1. DISCAMVS *exemplo Chriſti, voluntatem noſtram exuere, &*

eam

DOCVMENTA.

1. DISCAMVS exemplo Christi, voluntatem nostram exuere, & eam penitus transferre in voluntatem Dei. Discamus & sensuũ cupiditates vincere eaſq; spiritui subijcere. Discamus in spiritualibus necessitatibus refugere ad optimum Patrem nostrum. Discamus denique in oratione constantes esse, vt cum Christo digni habeamur consolatione & confirmatione cælesti.

2. Quanta molis fuit nostræ redemptionis opus, quod potuit sanguinem illi exprimere, qui cælum & terram sustinet: at nos quàm parui illud facimus, quibus pro salute, sæpe molestum est vel pedem de terra mouere.

3. Si cruciatus huius vitæ tanti sunt, vt illorum cogitatione Christo sudor cruẽtus efluxerit: quo nos sudore sanguineo perfũderemur, si ex animo cogitaremꝰ de ijs cruciamẽtis, quæ vel apud inferos, vel in Purgatorio parata sunt? quorum longè maior est acerbitas, quàm omnium mundi cruciatuum.

4. Tantus debet esse noster in precibus ardor, vt flagranti desiderio pro Christi amore patiendi, & confirmandi nos acerbæ illius passioni, cum ipso etiam sudemus sanguinem.

5. Si

5. *Si Christus fortitudo Patris, & agnus innocentissimus, de sua felicitate securus tamen imminentis mortis cogitatione, in tantas animi angustias & agoniam incidit: quos angores, quas agonias, nos in illo momento quo morimur sustinebimus, cùm sentiemus nos tam infirmos spiritu, tam plenos peccatis, & salutis incertos? Agamus ergo precibus quam ardentissimis cum Domino, vt in terribili illo transitu ab ipso adiumentum & solatium accipiamus, quemadmodum ipse accepit à Patre.*

6. *Christo oranti apparuit Angelus cõfortans eum. Sic orantibus cum sensu pietatis & ardore, adsunt Angeli: & quanquam non semper quod petunt impetrant, quia forte non expedit, tamen Angelica consolatione non carent.*

ME-

MEDITATIO DVODECMIA.

DE PRODITIONE CHRIsti per Iudam.

EVANGELIVM.

Matt.26. Marc.14. TVNC venit tertiò ad discipulos suos, & ait illis: Dormite iam & requiescite, sufficit. Surgite eamus: ecce qui me tradet prope est. Et adhuc ipso loquente, ecce Iudas Iscariotis vnus ex duodecim, & cum eo turba multa cum gladijs & fustibus missi à Principibus sacerdotum & Scribis. Dederat autem traditor ijs signum dicens: Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum, & ducite cautè, & antecedens eos appropinquauit Iesu, & dixit. Aue Rabbi, & osculatus est eum. Dixitque ei Iesus: Amice ad quid venisti? Osculo filium hominis tradis: Sciens itaque

Iesus

Iesus omnia quæ ventura erant super eũ, processit & dixit eis. Quem quæritis? Respondérunt ei. Iesum Nazarenum. Dixit ei Iesus: Ego sum. Vt ergo hoc dixit ijs Iesus, abierũt retrorsum & ceciderunt in terrã. Iterum ergo eos interrogauit; quem quæritis? Illi autem dixerunt? Iesum Nazarenum. Respondit Iesus: dixi vobis quia ego sum Si ergo me quæritis, sinite hos abire.

FIGVRAE.

IOAB princeps militiæ Regis Dauid, obuiam veniam Amaso, salutauit illum dicens; Salue mi frater, simulq; altera manu apprehẽdens mẽtum, quasi volens exosculari; altera pugione latus transfigit, illumq; occidit. 2. Reg. 20.

PROPHETIÆ.

HOMO pacis meæ, in quo speraui, qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem. Psal. 40.

Oblatus est, quia ipse voluit. Isaiæ. 53.

CONSIDERATIONES.

1. Punctũ. CONSIDERA Christum, post quam lõgas produxerat ad Patrem preces, tãdem aliquando sanctissimum caput humi tollentem, & surgentem ab oratione. Heu quàm debilitata & fracta erant sacra ipsius membra ab illa timoris & angoris violentia, quam in miserolillo conflictu pertulerat! Venit igitur tristis IESVS oculis ob lacrymarum copiam turgidis, & caligantibus, facie rubente ex orationis ardore, & iam tum etiam guttis sanguineis, quæ anxietatis præcedentis essent indices, stillante. vbi verò discipulos inuenit dormientes, paterna benignitate motus, inquit: *Dormite iam, & requiescite.* O bonitas, ô dulcedo Saluatoris Monuerat discipulos benignissimus IESVS, vt vigilarent cùm primum dormientes inuenit, benignè reprehẽdit; cùm iterum patienter tulit imbecillitatem, atque illos maiori suffunderet pudore tacens abijt, tertiò denique dormientibus, humanæ infirmitati dans veniam, potestatem fecit paullulum quiescendi, ipse interim vt bonus Pastor magno amore pro suo paruulo grege agebat excubias.

Pos

Post paullò excitans Discipulos, *Sufficit*, inquit: *eamus: ecce appropinquauit qui me tradet.* Animaduerte hìc Christum, vt in oratione carnis infirmitatem ostenderat, sic quo tempore patiendum erat, promptitudinem spiritus demonstrare. Videns. n. accedentes iam hostes non redit, non quærit latebras, vt Mercenarius solet; sed, vt Pastor bonus, cui plus nostra, quam sua salus cordi esset, alacer illis procedit obuiã. O benedicte SV, vbi iam ille timor, qui te paullo ante occupabat, vbi iam illi gemitus, ille tremores angij, terribilis ille mortis horror? paullo ante cùm etiam procul essent hostes, tristis eras vsq; ad mortem: nũc cùm coram, ante tuos oculos præsentes, tanquam leones rugiunt, tui sanguinis cupiditate furentes non exanimaris, non times: etiam forti animo vadis obuiam! *Ioan. 10.*

O suauis hominum amator, quantus fuit is amor, qui tuum tibi cor ita surripuit, vt vltrò & promptè ad mortem festines? Certè amor immensus in me id effecit: at quis sum ego, vt tu Dominus Regum, & Rex cæli & terræ, pro me abiecto vermiculo offeras, & in medias crudelissimorum hostium manus te immittas.

Considera, quomodo feram illam belluam proditorem accedentē benignissimus IESVS non repellit, sed conuersa ad ipsum amabilissima facie; applicat dulce os suum, in quo dolus non
Isaiæ 53. est inuentus ori pleno spurcitia & fraudibus, denique blande alloquitur: *Amice, ad quid venisti?*
1. Pet. 2. quasi dicat. Hoc ego de te merui, Iuda? An te offendi, cùm ante te genua flexi, cùm pedes laui, cùm tibi præciosum meum corpus & sanguinem dedi? O Iuda quomodo me viliorem triginta denarijs æstimasti? Cur recessisti à me, reliquisti me fontē aquæ viuæ, & seruis Diaboli te aggregasti? Redi, Iuda, redi ad cor, vide quid agas; patet adhuc tibi ostium gratiæ meæ, ego sto paratus ad excipiendum te, si cum sensu doloris de lapsu tuo reuerti velis ad me.

Vide quot modis conetur pertinaciā maleuoli animi, ad aliquam humanitatem traducere Dominus. Primò lenitate, præbens osculum: deinde beneuolentiæ significatione, amicum appellās, deniq; cum caritate, explicans, facti turpitudinem, vt se colligeret, inquit, *Osculo filium hominis tradis?* Ah quis iam vltra teneat lacrymas, si hanc diuinam penitus benignitatem Christi in prodi-

toren

torem suũ consideret? quis iam de misericordia Dei desperet? O suauissime Domine, si tanta caritate, tanta suauitate proditorem, inimicum, seruum infidelem & sceleratum complexus es, quid facies dilectis amicis, ijs qui toto corde te quærunt, te desiderant, tibi seruiunt?

Vide exercitum illum Satanicũ stantem coram Christo, tantisper consternatum, dum ipse illis apprehendendi sui faceret potestatem: & considera, si benignę illæ Christi voces, quando se morti offerebat, tam formidabiles inimicis fuerunt, vt cum magno omnes timore supini in terram corruerẽt: quid in die iudicij fututum sit, quando veniens cum tota sua potestate & maiestate, ad puniendos eos, qui se offenderunt, terribilem super illos, sententiam tonabit: *Abite maledicti in ignem aeternum.* *Matth. 25.*

COLLOQVIVM.

ROGABIS Christum D. N. per illum amorem, qui illum permouit, ad accipiendum amplexum & osculum Iudæ proditoris, & ad offerendũ se tam promptè pro te crudelissimis hostibus; gratiam tibi det, vt & tu eadè animi alacritate crucem excipias, quæcunque tibi

ab

ab illo imponetur, & vt eam loco muneris in tuum magnum commodum missam agnoscas: vtque in actionibus quibus ipsi seruis, semper in veritate & rectitudine ambules, aduersus proximum autem cum suauitate & caritate, reddens semper pro malo bonum, ijs qui te offendunt.

DOCVMEMTA.

1. *IN comparandis virtutibus, & in rebus arduis ac difficilibus, ad gloriam Dei & salutem animarum suscipiendis, non oportet timidè refugere; sed animo impauido obuiam ire tentationibus & molestijs, & omnia constanter perferre, quæ alij contra nos aut factis aut dictis moliuntur, idq; exemplo Christi.*

2. *Iudas quia Dominum reliquerat, eò sceleris venit, vt ex Apostolo Christi, qui titulus summam, quæ inter homines est, sanctitatem indicat, Dux euaserit ministrorum Diaboli, & Christi ipsius proditor: sic qui semel à vocatione sua deficit, ad extrema scelerum plerũque delabitur.*

3. *Candidè & sincere agẽdum est cum Deo & proximo, sine simulatione, qua Iudas vsus est, cum verbis Christum salutaret Magistrum, osculo traderet inimicis.*

4. *Aequa*

4. *Aequo animo ferenda sunt fraudes omnes & iniuria, à quocunque inferantur, etiam ab amico, vt Christus tulit à suo discipulo.*

5. *Inimicis & calumniatoribus nostris, nihil imprecandum est mali, ne asperis quidem verbis obiurgandi, sed suauiter, & cum amoris affectu monẽdi sunt, quod Christus Iudæis & Iudæ præstitit.*

6. *Christum osculo tradunt, qui ficto animo ad confessionem, aut indignè ad communionem accedunt.*

7. *Caueamus mundum, quia proditor est, & amicus falsus. Cum diuitijs nos ornat, arridet nobis: cùm voluptates offert & gaudia, osculatur nos; cùm honores largitur, amplexatur. Atq; his modis speciem amici præferens, morti nos tradit sempiternæ.*

MEDITATIO DECIMATERTIA.

DE CAPTIVITATE *Christi.*

EVANGELIVM.

Matt.26. Marc.14. Luc.22. Ioan. 18.

TVNC accesserunt, & manus iniecerunt in Iesum, & tenuerũt eum. Videntes autem hi, qui cùm ipso erãt, quod futurum erat, dixerunt ei. Domine si percutimus in gladio. Et ecce vnus de circumstantibus Simon Petrus, habẽs gladium, eduxit eum. & percussit seruum summi Sacerdotis, & abscidit auriculã eius dexteram. Respondẽs autem Iesus ait: Sinete vsque huc, & cùm tetigisset auriculã eius sanauit eam. Tum dixit Iesus Petro. Mitte gladium tuũ in vaginam. Omnes enim qui acceperint gladium gladio peribunt. Calicem

cem quem dedit mihi Pater; non vis vt bibam illum? In illa hora dixit Iesus ad turbas, Principes sacerdotum,& Magistratus templi. Quasi ad latronem existis cum gladijs & fustibus comprehendere me, cum quotidie fuerim vobiscum in templo, non extendistis manum in me. Sed hæc est hora vestra & potestas tenebrarum. Tunc discipuli omnes, relicto eo fugerunt. Cohors autem & tribunus, & ministri Iudæorum ligantes comprehenderunt Iesum.

FIGVRAE.

TRIA millia de tribu Iuda, veniẽtes ad Samsonem dixerunt: Ligare te venimus, & tradere in manus Philistinorum: sicq; duobus ligatum funibus abduxerunt. Iudic. 15.

PROPHETIÆ.

CIRCVMDEDERVNT me vituli multi, & tauri pingues obsederunt me; aperuerunt super me os suum, sicut Leo rapiens & rugiens. Psal. 21.

Thren.4. *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris.*

Ezech.3. *Fili hominis dada sunt super te vincula, & ligabunt te in eis.*

Zach.13. *Percute pastorem, & dispergentur oues gregis.*

Iob.19. *Fratres meos longè feciſti à me, & noti mei quasi alieni receſſerunt à me.*

Ibid. *Dereliquerunt me propinqui mei, & qui me nouerant, obliti sunt mei.*

CONSIDERATIONES.

1. Punctū. CONSIDERA, quomodo turba illa tartarea, inuadens Ieſum truci vultu, minacibus oculis, animo crudeli, vndique illum cingant, & ſceleratas injiciant manus. Vide, vt Dominus ille, quem in cælo circumſtant, & colunt exercitus Angelorum, abdicans ſe quodā modo tanto honore & gloria, patiturſe circumdari & capi ab hominibus nullius præcij aut frugis. Atque id totum facit amore noſtri, vt nos eripiat manibus hoſtium, qui nos cum præſenti periculo obſidione cinctos tenebant: vtq; nos ſecum ad cælum aliquando perducat, vbi ſimul cum Angelis illi æternum cultum & laudes exhibeamus.

Non paſſus eſt Chriſtus, vt à cupientibus diſcipulis defenderetur: quin inter ipſas

ipſas inimicorum manus, cum nō poſſit benignitatis ſuæ obliuiſci, ſanat eorum vulnera, qui ad ſe trucidandum venerant. At contrà hominibus illis belluas feritate, & ſaxa duriſſima duritate vincentibus, non ſufficit ad reſipiſcentiam neque potentia Chriſti, quando vno verbo exanimes ad terram afflicti ſunt: neque potuit illos emollire ſuauiſſima Chriſti caritas beneficia in eos conferentis, & bonum pro malo reddentis: non denique affabilitas & dulcedo ſermonis: ſed his omnibus rebus magis ingrati, atque infeſti euadebant.

Merito queſtus eſt Saluator, quod ad ſe tanquam ad latronem capiēdum veniſſent. Latronum eſt fugere, latebras quærere, alijs nocere, ijſque aliquid auferre: ipſe verò non fugit, ſed vltrò ſe dat in manus illorum: nemini damnoſus eſt, ſed omnes infinitis ornauit beneficijs: nemini quicquam abſtulit, qui nihil vnquam habuit proprium: quin potius in vſus & ſalutem aliorum, res ſuas omnes, doctrinam, gratiam, labores ſeipſum denique impendit.

Contra voluit verè tāquam latro capi vinculiſq; conſtringi, venerat enim vt furtum lueret à primo Parente in Paradiſo commiſſum. Itaque voluit & ex

æquo cum Barraba latrone ligatus stare, & inter latrones crucifigi, & deniq; pro latronibus mori, soluens precio sanguinis, quæ non rapuerat: sicut ipse apud Prophetam inquit:

Psal. 68. *Quæ non rapueram, tunc exsoluebam.*

Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum. Considera quàm profundè se depresserit, ob nostram superbiam filius altissimi. Cùm enim Dominus esset Angelorum, non sufficit ei minorem se facere Angelis, & hominibus abiectorem, vt ipse per Prophetam inquit: *Vermis ego sum, & non homo*: sed etiã quod ad supplicia de se sumenda, potestati se Diabolicæ subiecit. Vbi vide quæso, veram illam mundi lucem, illum splendorem gloriæ, illum cui à Patre data est omnis potestas, in cælo & in terra, dari in potestatem, non modò hominum improborum, sed ipsius etiam principis tenebrarum. Datus est quidem & Iob vexandus Diabolo, sed cum eo, ne vitam illi tolleret. At tu bone IESV, sine vlla exceptione, traditus es tartareæ potestati, vt in famam ac vitam tuam omnem suam effunderet rabiem. Nobis peccatoribus; & millies mortem promeritis, molestias immittis, sed quasi ad mensurã, & cum misericordia: tibi

Iob. 2.

innocenti

innocenti supplicia & ignominias sumis nulla mensura, vel misericordia.

Hoc ergo modo cùm captus teneretur IESVS, discipuli timoris magnitudine superati fugerunt, relicto magistro optimo. At quanto dolore paulo post completi sunt animi illorum, cùm ad se redeuntes agnouerunt, quàm turpiter in tantis periculis, à suo fidelissimo Magistro & Domino deseruissent, quàm tristes erant, quantū lacrymarum fundebant, quàm dolenter querebantur de doloris sui acerbitate! Ibant destituti, vt oues errantes sine pastore, nunc huc, nunc illuc, nec ipsi satis quò irent, scientes, nonnunquam cum effuso fletu pectora manibus plangebant dicentes, ô Magister benignissime, ô Pater dulcissime, ô Domine suauissime, qui tanto nos amore aluisti, tanta sollicitudine custodisti, tanto studio erudijsti, quomodo fugimus à te vnico bono nostro, refugio nostro, vita nostra? quomodo te destituimus? Cur non ad mortem vsque, quod tam constanter promiseramus, te secuti sumus? Heu quàm sæpe in pectoribus illorum exorta timoris & amoris pugna, dubitarunt an redirent, & de integro se Magistro adiungerent: sed aliter visum erat diuinæ prouiden-

tiæ, vt Scripturæ implerentur.

Considera quemadmodum patiatur Dominus, vt manus illæ diuinissimæ, quæ omnia crearunt, regunt, & seruant, ab ijs constringantur, qui ab ipso vitam & quicquid habent acceperunt. Vide quàm horrendis clamoribus homines diabolici, instar fame furentium luporum, mansuetissimum agnum inuadant, vt vndique simul omnes, alius hîc, alius alibi admordeant & dilanient. At ipse planè promtus omnia fert peccatorum nostrorum caussa. Quàm crudeliter illum tractant, quàm indigna in illum maledicta congerunt, quantis ludibrijs & irrisionibus deducunt? Quæ lingua sufficiet explicare illa conuitia, illas exprobrationes, & pudenda cognomina, quæ aures Christi purissimæ tunc audire coactæ sunt? At modestia tamen gratiosissimi oris, & diuinissimorũ oculorum serenitas, inter tot iniurias, tot scurrilitates, nunquam opprimi aut obscurari potuit.

COLLOQVIVM.

ROGABIS Christum D. N. per illam clementiam, qua curauit vulnus inimici, perque illam mansuetudinem,

nem, qua se ab hostibus crudeliter passus est ligari: vt & tuam animam caritatis vinculo sibi alliget, & sanet vulnera tuarum perturbationum & cupiditatum malarum: vt te perfectè coniuncto ipsi, & captiuas ducente vires sensusque animi in obsequium Maiestatis ipsius, nihil in te virium habeat neque Diabolus, neque mundus, neque caro, neque vlla huius vitæ aduersitas, quo te separent à dulci illius caritate.

DOCVMENTA.

1. CONTRA *inimicos nullis nisi precationis armis nobis vtendum est, & Christi exemplo bona pro malis reddenda, neq; id modo verbis, sed etiam reipsa. Gladio temerarij iudicij nemo feriendus est, ne nos eodem tangamur, vt monet Euangelium*, Nolite iudicare, & non iudicabimini. *Matt. 7.*

2. *Quandoquidem Christus amore nostri volens lubensq; se capiendum Iudæis tradidit: decet vt & nos vicissim amore illius, captiuemus omnes sensus nostros, in illius obsequium, oculos, non aspectando illicita: aures, noxia non audiendo: linguam, neq; de rebus ocioſis, neq; de aliorũ fama sinistrè loquendo: manus, abstinendo actionibus malis: cor, non admittendo*

noxias

noxias cupiditates: mentem denique, euuendo noxias cogitationes.

3. Illi manus Christo ligant, qui non confidunt fore, vt Deus ipsis res necessarias procuret, aut illis in tentationibus & afflictionibus opem ferat. Deinde, qui diuinis inspirationibus resistentes, nõ sinunt Deum vt ea in se efficiat quæ desideret. Tertiò ingrati, qui gratiæ non cooperantur, atq; ita se ea indignos reddunt. Item tepidi & negligentes, quia ociosam habent gratiam, nec illa vtuntur. Denique qui de se, ob gratiam acceptam, magnificè sentiunt, aut apud alios iactitant, non abscondendo occulta dona. Hi enim his donis indigni fiunt.

4. Christus voluit ligari pro nobis, vt nos sibi alligaret vinculis caritatis. Laboremus ergo, vt ita nos illi firmiter caritate astringamus, vt nullæ re facilè separari possimus.

5. Fugiunt à Christo, qui pati cũ Christo refugiunt: deserunt Christum, qui vel timore aliquo humano, vel tentatione Dæmonis, & cupiditate effrænata vicii, à iustitia & veritate deflectunt.

6. Discipuli Christum secuti sunt, vsq; ad passionis tempus: tum deinde reliquerunt. Sic parentes, amici, & huius mundi bona seruient tibi dum viuis; vbi ministri

nistri mortis te circumdederint, diffugient omnes. Discamus ergo non collocare spem in hominibus, aut rebus humanis, sed in solo Deo, constantissimo & fidelissimo amico.

7. Ij discipulis sunt similes, qui seruiunt Christo tantisper, dum res bene fluunt: neq; vlla molestia aut tædio afficiuntur: vbi verò tentatio exoritur, aut necesse est commoditates & suam voluntatem relinquere, aut pati quicquam in obsequio Christi, subitò se retrahunt, & illum destituunt.

MEDITATIO DECIMAQVARTA.

DE CHRISTI AD ANNAM deductione.

EVANGELIVM.

ET adducunt IESVM ad Annam primùm. Erat enim socer Caiphæ, qui erat Pontifex anni illius. Sequebatur *Ioan. 18.*

batur autem Iesum à longè Simon Petrus, & alius discipulus. Discipulus autem ille erat notus Pontifici, & introiuit cum Iesu in atrium Pótificis. Petrus autẽ ſtabat ad oſtium foris. Exiuit ergo diſcipulus alius, & dixit oſtiariæ, & introduxit Petrum. Pontifex ergo interrogauit Iesum de diſcipulis ſuis, & de doctrina eius. Reſpondit ei Iesus: Ego palã locutus ſum mundo, ego ſemper docui in Synagoga, & in templo, quò omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus ſum nihil. Quid me interrogas? Interroga eos qui audierunt quid locutus ſim eis. Ecce hi ſciunt, quid dixerim ego. Hæc autem cum dixiſſet, vnus aſsiſtens miniſtrorum dedit alapam Iesu, dicens: Sic reſpondes Pontifici? Reſpondit ei Iesus: Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo; ſin autem bene, quid me cædis? Et miſit eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem.

FIGV-

FIGVRAE.

CVM *Michæas vera diceret Regi Achab; surgens Sedecias pseudopropheta, inflixit illi alapam, increpans etiam quod ita locutus esset.* 3. Reg. 22.

PROPHETIÆ.

DEDIT *percutienti se maxillam, saturabitur opprobrijs.* Thren. 3.

Aperuerunt super me ora sua. & exprobrantes percusserunt maxillam meam. Iob. 16.

CONSIDERATIONES.

VIDE, quomodo latrones illi gestiant, de Christi captiuitate, nõ aliter, quàm victores capta præda: vide qua festinatione illum ad vrbem raptent, & quo maiori viarum compendio vtantur, relicta via, per loca aspera & difficilia ducunt, nunc ad dextram, nunc ad sinistrã trahunt, nunc impulsibus, nunc verberibus instant vt festinet. Heu quot in illo itinere iniurijs affectus est Christus! quàm sæpè, cùm huc illuc traheretur, nec posset per vincula se commouere, coactus est in terrã procidere: vndè cùm tam subitò erigere se non posset, crudeliter ab impijs illis humi trahebatur. 1. Punctũ.

Ha-

Habuit Christi captiuitas violentiam, ignominiam, & dolorem. Violentiam, quia licet iret voluntarius, sicut ad sacrificium victima; tamen ob inimicorum furorem & festinationem, tractus potius, quàm ductus est. Ignominiam & quidem grauissimam, quia ducebatur semiuestitus, manibus in modum malefici aut latronis colligatis. Dolorem tum corporis illius sanctissimi ex verberibus & ludibrijs, quibus afficiebatur: tam cordis dulcissimi, ex iniurijs, irrisionibus, conuitijs, quę à Diabolicis illis & venenatis linguis effundebantur.

Considera iam, & quidem cum commiseratione, quàm humiliter, Dominus ille potens, ab amicis omnibus desertus, tot inimicis vallatus steterit, constrictus vinculis, oculis humi deiectis, virginali quadam verecundia, coram tumido & superbo Pontifice, vt ab eo examinaretur & iudicaretur: is cui Pater æternus omne iudicium, & omnem
Matt.28. potestatem dedit in cælo & in terra. O suauis IESV, quomodo tam contemtus & desertus es? Vbi nunc sunt discipuli tui? Vbi tot alij, magnis à te beneficijs affecti? O vnicum bonum meum, quid mihi faciendum est, cùm videam te mea caussa in tãta ignominia & vexa-

tions

tione esse? Ergóne patiar, vt tu constrictus sis vinculis peccatorum meorum, & ego tuæ caritatis vinculis sim exsolutus? Non sic, Domine mi, non sic; sed sedebo & ego tecum in terra, colligabo me tibi, & socius ero tuarum errumnarum: quando tantam paucitatem eorum video, quî te ament; tantam copiam qui oderint, & qui necem machinentur.

Calumniabantur Iudæi Christum, quod falsa doceret, turbasq; seduceret. Quibus ille summa cum modestia respondens testesque citans non suos discipulos, sed ipsos inimicos, qui se audierant, tanquam homo arrogans, ab impio & impudenti ministro percutitur. Accipit patientissimè mansuetus ille Agnus, alapam illam ignominiosam, non turbatur, non in iram consurgit, nō soluit linguam ad maledicta, nō ad vindictam extendit manum, non imperat cælo, vt in hominem sacrilegum ignes demittat, quod Elias fecit: non feris, vt illum dilanient, quod Elisæus: non terræ, vt dehiscens viuentem absorbeat, quod Moyses in Dathan & Abiron fecit: sed eximia patientia ferens propter nos ignominiam illam, leniter respondet scelerato illi, paratus scilicet alteram præbere maxillam, si illi ita videretur.

4. Reg. 1.
4. Reg. 2.
Num. 16.

O Ie-

O Iesu, Agne mansuetissime, quis sine lacrymis cogitet, tantam tuam benignitatem & patientiam, qua passus es, vt decora illa facies, in quam desiderant Angeli aspicere, tam ignominiosè verberetur à mancipio infimo? I nunc homo superbe & impatiens, qui subitò commoueris, nec potes vel vnum verbulum, & exiguam molestiam ferre, inspice hoc viuum patientiæ exemplum. *Matt. 11.* Disce ab illo esse mansuetus & humilis corde, & animaduerte totum passionis decursum: inuenies illum ne semel quidem in aduersarios commotum. Semper illis potius sermone, aspectu, factis ipsis amorem & beneuolentiam ostendisse.

Considera quàm sit indignum hoc facinus, quod cælum exhorruit, & obstupuit terra, cùm viderent hominis audaciam & malignitatem: Dei patientiam & longanimitatem. Percutitur Dominus à seruo, Creator à creatura, Dominus vniuersi, coram quo tremunt cæli, inferorumque potestates, verberatur & ignominia afficitur, à verme sordidissimo, & luto terræ. O manus infelix, quæ ausa fuisti percutere diuinam illam faciem, quam Seraphini & omnis natura creata veneratur. Verùm heu mi-

mihi! seruus hic percussit Christum obnoxium passioni, idque illum non agnoscens: quanto in grauiore culpa & infelicitate sunt, qui cognitum suum Redemtorem, iamque in cælo regnantem non cessant per contin. ua scelera & flagitia, verberibus atque ignominia afficere.

COLLOQVIVM.

ROGABIS Christum D. N. vt quia permisit diuinissimam faciem à nequissimo seruo impie cædi alapa, det gratiam tibi, ne vnquam vlla tentatione, aut suasu diaboli inducaris ad aliquē afficiendum iniuria, aut ipsius Maiestatem offendendam, aut proximum. Potius; vt cognoscas quantum illi pro tantis donis & beneficijs debeas, quibus te ornauit. Itaque ne sinat, vt ingrato sis animo, sed semper illum corde ames, ore laudes, opere ad finem vsque fideliter seruias.

DOCVMENTA.

1. *LIGANT & trahunt ignominosè Christum ad Annam, vbi calumnijs & iniurijs opprimatur, qui cùm sub obedientia viuant, superioris iussa sua voluntati accommodant, aut efficiunt, vt Superior ad ipsorū imperfectiones connitent.* 2. Chri-

2. *Christi doctrinam cum Anna excutiunt, vt illam calumnientur: qui inquirunt & iudicant de Superiorum iussis: recténe præcipiatur an secus, neq; simpliciter id quod iubentur faciunt.*

3. *Non est tristitiæ causſa, aliorum de nobis minus recta existimatio, modò ne accuſet nos conſcientia. Nam & Christus, ipſa veritas & ſapientia, calumniam paſſus est.*

4. *Si quando per errorem aliquem aut peccatum à Christo diſcedamus, curandum vt quàm primum ad ipſum per pœnitentiam redeamus, atq; de integro ſtatuamus ſequi illum vſq; ad finem, quod Petrus & Ioannes fecerunt.*

5. *Christus à diſcipulis interrogatus, cùm laudes, quibus illos admodum prædicaret non haberet, tacere maluit: Sic nobis cordi debet eſſe, quin etiam defendi proximi fama, vt nihil de illis loquamur, niſi quod ad illorum commendationem, aliorum fructum pertinere poſſit.*

6. *Calumniatoribus modeſtè reſpondendum, curandumq; vt alij potius quàm nos, rerum noſtrarum ſint teſtes: vtq; nos vita noſtra non lingua defendat, & claudat ora hominum impudentium, quorum exempla hic videmus in Christo.*

7. *Qui in nos quocunq; modò peccant,*

poſſu-

possumus admonere de suo errore & peccato, sine ira tamen & impatientia, animo pacato: sic vt nostri sermonis benignitate, corda eorum emolliamus, iram extinguamus potius, quàm excitemus.

8. Christo in faciem damus alapam, cùm vt alicui mortalium placeamus, aut certè ne displiceamus, vel malum admittimus, vel omittimus bonum, quod ad honorem Dei, aut proximi adiumentum pertinebat.

9. Tunc item percutimus diuinum os IESV, cùm non audire, non accipere volumus veritatem, quam ille nobis per sanctas inspirationes tacitè loquitur. Item cùm ægrè ferimus aut contemnimus admonitiones, & bonas Patrum aut Superiorum cohortationes: quia ipsi in nobis regendis vicem Dei obtinent.

MEDITATIO DECIMAQVINTA.

QVOMODO CHRISTVS *ab Anna missus sit ad Caipham.*

EVANGELIVM.

Matt. 26. Marc. 14.

TVNC tenentes IESVM duxerũt ad Caipham Principem Sacerdotum, vbi Scribæ, & Seniores, & Pharisæi cõuenerant. Petrus autem sequebatur à longè vsque in atrium Principis sacerdotum. Et ingressus intrò, sedebat cum ministris, vt videret finem. Princeps autem Sacerdotum, & omne concilium, quærebant falsum testimoniũm contrà Iesum, vt eum morti traderent, & non inuenerunt, cùm multi falsi testes accessissent; nõ enim erãt conuenien-

uenientia teſtimonia. Nouiſsimè autem venerunt duo falſi teſtes, & dixerunt. Quoniam nos audiuimus eum dicentem; Ego diſſoluam templum hoc manu factum, & poſt triduum aliud non manu factum ædificabo. Et non erat conueniens teſtimonium illorũ. Surgens ergo ſummus ſacerdos interrogauit IESVM dicens: Non reſpondes quicquam ad ea, quæ obijciuntur ab his, IESVS autem tacebat, & nihil reſpondit.

FIGVRAE.

PRINCIPES Izrael mandato Iezabelis, duos produxerunt falſos teſtes, vt Naboth virum iuſtum capitis damnarent. 3. Reg. 21.

PROPHETIÆ.

SVRGENTES teſtes iniqui, quæ ignorabam, interrogabant me. Pſal. 34.

Os peccatoris, & os doloſi ſuper me apertum eſt: Loquuti ſunt aduerſum me lingua doloſa. Pſal. 108.

Ego redemi eos, & ipſi locuti ſunt contrà me mendacia. Oſee 7.

Factus ſum tanquam homo nõ audiens, & non habens in ore ſuo redargutiones. Pſal. 37.

CONSIDERATIONES.

1. Punctũ. ANNAS Christum, tanquam morte dignum, mittit ad Caipham summum Pontificem. Sequere anima mea vestigia sponsi tui, qui vt te sibi desponderet, labores hos & dolores, tuo amore suscepit & sustinuit. Aspice lugubrem illam pompam, & vide quàm inhumaniter, immò quàm immaniter filij Diaboli ducant, aut potius trahant mansuetum IESVM. Erant in domo Caiphæ congregati Scribæ, Pharisæi, & improbi Seniores, ardentes ira, superbia tumidi, inflammati inuidia, in Saluatorem. Erat sanè concilium coactum in nomine Satanæ, ad effundendum innocentem sanguinem Christi: inter medios ipsos versabatur spiritus malignus, qui ad omne genus crudelitatis & immanitatis animos incitaret. Considera, cùm iam accederet ad illos Christus, quàm contemtim illum acceperint, quàm terribilibus illum oculis aspexerint: quàm gaudebant superbissima capita, cùm viderent tam humilem & contemtũ coram se consistere Dominum: nõ dignabantur scilicet illum alloqui, nisi aspere & contumeliosè.

Considera, quemadmodũ stet Deus Ma-

Maiestatis, instar innocentis agni, in medio consilij malignantium, quasi inter immanissimos lupos: colligatis manibus, funem collo gestans, facie liuida & deformata ex accepta plaga, oculis terram modestè spectantibus, omni ex parte contumelijs & conuitijs appetitus. Quæ tametsi omnia mansuetissimus IESVS, humillimè & patientissimè ferret pro amore nostri, & cum siti auida bibendi amarum illum calicem: non potuit tamen tenerum & dulcissimum ipsius cor, quin, quanto erat ipse innocentior, tanto magis populi sui malitia & ingratitudine, commoueretur & offenderetur.

Cùm vera contra Christum testimonia Iudęos deficerent, (quomodo enim in eo qui ipsa veritas erat, aliquid inuenirent falsitatis?) quærunt falsa. Cupiebant homines improbi Christum occidere, non quod in eo quicquam pœna dignum inuenissent, sed quod iam ante certum haberent illum de medio tollere, quærebant colorem, quo honestè suum scelus iustitiæ nomine obumbrarent. Vide hic primò, quousq; procedat malitia peccatoris, quando vt suum improbum desiderium modò expleat, audeat vel ipsi Deo manum inijcere, optaretq;

que si posset, omnino Deum de mundo tollere. Secundò, quàm lõgè aliter Christus cũ Iudæis, quàm ipsi cum illo egerint. Illi ardentes inuidia, post tanta ab eo beneficia, caussam quærunt, qua illum occidant, ipse ardens amore, post tantas ab illis acceptas iniurias, iam cruci affixus, quærit caussas apud Patrem, quibus illos liberet, & ad salutem reuocet.

Vide vt se per seipsam defendat virtus & veritas. Etsi enim capitali odio Iudæi essent in Christum, non fuit tamen tanta quisquam audacia, (tanta erat innocentia & probitas in vita & moribus Christi) qui crimen auderet vllum obijcere, id quod non sine magno mysterio permisit Dominus: primò ad ipsorum inimicorum vtilitatem, vt agnoscentes nullam se damnandi illius caussam habere, suum errorem facilius cognoscerent, & ad meliora mentem conuerterent: deinde in vsum Ecclesiæ suæ, vt probata apertè eius innocentia, (vt de ipso Propheta prædixit: Quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit inuentus in ore eius) confirmaretur in fide, de illius diuinitate, deque mysterio mortis vltro pro nobis susceptæ.

Isaiæ 5.

Considera artes & superbiam Pontificis,

ficis, cùm quærendis testimonijs parum proficeret, irata oratione tentat elicere aliquid à Christo, quod in calumniam vertat: ille verò tacet, nec respondet. Tacet benedictus IESVS, primò, propter iustitiam, neque enim personæ, neque res quæ dicebantur, dignę erant responsione. Deinde, propter misericordiam, ne hominibus in sua malitia obstinatis, occasionē grauius peccandi daret. Tertiò propter sapientiam, præclarè enim nouerat, quicquid dixisset mox rapiendum ad calumniam, neque defensioni suæ quicquam loci futurum. Tacet etiam propter caritatem, quia enim venerat pro nobis pati, noluit excusationibus aut defensionibus vti; sed patienter ferre omne genus accusationis, despectus, vituperia, quæ nostra peccata meruerant. Tacet denique vt verus medicus, qui morbos, contraria adhibens remedia, depellit. Adamus enim iustè increpatus, excusauit se, & excusatione culpam auxit. Christus contra innocens accusatus tacet, nec se excusat, quòd ideò fecit, vt sua innocentia & accusatione iniusta, expiaret Adami culpam: & suo silentio in accusatione pro eiusdē Adami excusatione satisfaceret.

COLLOQVIVM.

ROGABIS Christum D.N. vt quoniam voluit amore tui calumniam pati, tibi gratiam det, vt ambules semper coram ipso in veritate: neq; vnquam aduersus proximum aut loquendo aut iudicando, aliquam incurras falsitatem, quin potius ita sit tibi aliorum honor & existimatio cordi, vt tua ipsius. Contrà, quæcunque de te secius dicantur aut fiant, cum patientia & humilitate ex ipsius amore perferas, agnoscens te dignum ob tua peccata, omni vituperio & reprehensione.

DOCVMENTA.

1. *QVI alios dignitate præcellunt, cõueniunt inter se de morte Christi: at turbæ & homines simplices eum sequuntur, & doctrinam eius amplexantur. Vnde intelliges, quanta pericula, & ruinarũ occasiones sint in statu alto: contrà, quanto homines humiles & simplices, maiori securitate & facilitate perueniendi ad salutem fruantur.*

2. *Exemplo Christi patienter ferenda sunt calumniæ, quæ falsò in nos dicuntur, sine vel defensione nostri, vel eius, qui falsa de nobis dicit, accusatione.*

3. Si

3. *Si rectã esse volumus viam nostram coram Deo, negligenda sunt voces ignorantis vulgi, & maledicorum linguæ, potius tacendo respondendum, & vincendum ferendo.*

4. *Falsos in Christum testes quærunt, qui excusationes inueniunt, ne diuinis obtemperẽt inspirationibus, aut ne officium faciant. Similiter qui studiosos virtutis & ad perfectionem aspirantes accusant & vituperant.*

5. *Cùm à quopiam iracunda & turbulenta inuadimur accusatione aut obiurgatione, tacere præstat, quàm excusare vel defendere. Eadẽ enim opera & iram hominis ardentis exstinguemus, & alijs erimus exemplo.*

6. *Cùm falsò traducimur aut accusamur, solatio nobis sit exemplum Christi: cogitemus sententiam illius:* Beati vos, cùm maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos mentientes, propter me. Gaudete & exultate, quia merces vestra copiosa est in cælo. *Matt. 5.*

MEDITATIO DECIMASEXTA.

QVOMODO CHRISTVM Caiphas adiurauerit, vt diceret, an ipse esset Christus.

EVANGELIVM.

Matt. 26. Marc. 14.

RVRSVM summus Sacerdos interrogabat IESVM, & dixit ei: Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis si tu es Christus filius Dei. Dixit illi IESVS: Tu dixisti, ego sum, veruntamen dico vobis: Amodo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli. Tunc Princeps Sacerdotum scidit vestimenta sua dicens: blasphemauit. Quid adhuc ege-

egemus testibus? Ecce nunc audistis blasphemiam. Quid vobis videtur? Qui omnes condemnauerunt eum esse reum mortis.

PROPHETIÆ.

EXCÆCA cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne fortè videant oculis suis, & auribus audiant, & corde intelligant & conuertantur. *Isaiæ 6.*

Circumueniamus iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius operibus nostris. Improperat nobis peccata legis, & filium Dei se nominat. *Sap. 2.*

Causſa tua quasi impij iudicata est. *Iob. 36.*

CONSIDERATIONES.

VIDE quomodo stet humilis IESVS, in medio illo perditorum concilio ligatus, & tanquam reus accusatus, sine dictione causſæ, sine patrono. Circùm inimici in modum canũ in rabiem actorum ambientes, rictus in illum diducunt, at morsus nusquam infigi posse sentiunt, quod Christus taceret, suum ipsi præ dolore cor edunt. Nec poterat iam amplius factuosus Pontifex rabiem comprimere: surgens ergo adiurat *1. Punctũ.*

illum per Deum, vt apertè diceret: Si ipse esset filius Dei.

Animaduerte nullam vnquam in orbe terrarum fuisse quæstionem maiorem, aut magis illustrem quàm sit ista. Principio propter eum qui interrogat, Concilium nempe Iudæorum, quo nihil erat in terra quod maiore autoritate & religione esset præditũ, nisi eos suum excęcasset scelus. Secundò propter eum, qui interrogatur, qui erat ipse Deus, factus homo. Tertiò propter rem quæ venit in quæstionem, quæritur enim de diuinitate. Spectatores aderant Angeli simul & homines. Itaque ex responsione Christi pendebant alterius partis summum bonum, alterius summum gaudium. Si taceret reuocabat in dubium fidem & salutem nostram; sin responderet, in periculum vitæ se conijciebat Deus. Sed Christus, qui suam vitam nostris commodis posthaberet, nõ modò rem ipsam disertis verbis professus est; vt omnem quæ incidere posset dubitationem aufferret: sed subiunxit etiam, etsi nunc se tàm contemptum videant, quàm Propheta præsignificauit, *Quasi absconditus vultus eius & despectus*; venturum tamen illũ diem, quo videant illum ad dextram Maiestatis

Isaia 53.

Dei

Dei sedentem iudicem, & cum magna gloria venientem in nubibus cæli.

Hinc licet coniecturā capere, in quātum sumus Domino nostro obligati. Sciens enim ipse silentio aduersarijs se posse omnem ansam se damnandi eripere, cùm & testimonijs, & idonea mortis caussa destituerentur (& tacere poterat, quippe nulli hominum subiectus) sciens præterea ex ea professione, imminere infinitas iniurias, ludibria, mortem denique: tamen *proposito sibi gaudio*, vt inquit Apostolus, quod scilicet amantissima ipsius anima ex tot animarum lucris captura esset, postposita vitæ cura, & confusione contemta *sustinuit crucem*. O præclara confessio plena immēsę cuiusdam caritatis! cōfessio, ex qua nascatur Deo summa gloria beatis spiritibus gaudium & instauratio ruinarum: mortalibus singulare remedium. *Heb.12.*

Vbi diuinam hanc professionē Christi audiuit Caiphas, indignus audire tā sublime responsum, luminis huius splēdore occæcatus, furēter discerpit vestem, & Filium Dei, tanquam blasphemum damnat. O Pontificem infelicem! non potest Christus, qui est ipsa veritas, aliud quām verum loqui. Sed hæc ipsa tua est blasphemia, qui Deo tribuis, quod non est Dei,

est Dei, & Dei filium creaturam esse existimas. Compatere, anima mea, Redẽtori tuo, qui tua caussa sic deprimi voluit.

Sap. 7. Cùm enim esset ipse *candor lucis æternæ, speculum sine macula*, in quem non poterat cadere peccatum, ille deniq; quem in cælis non cessant Angeli laudare, dicentes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus:*

Isaiæ. 6. *Apoc. 4.* passus est tamen se ab hominibus peccato inquinatis, in terra dãnari de blas-

Philip. 2. phemia, & is qui nõ quasi per rapinam, sed sua natura fuerat semper æqualis Patri, sinit se, tanquam diuinitatis furem & inuasorem capitis damnari.

COLLOQVIVM.

ROGABIS Christum D. N. quoniam ipse æterna veritas, voluit sibi ob tua mendacia & opera falsa blasphemiæ crimen inferri, & cum tanta patientia ferre Iudæorum profanas illas voces, quibus reus mortis acclamabatur: vt tibi gratiam impertiat, qua lubens patiaris pro veritate, & ex ipsius amore omnia, quæ de te siniſtrè & malè dicuntur, vt tu pro blasphemo & digno mille mortibus habearis, quod verè peccata tua merentur, vt displicens mundo, tanto magis placeas oculis diuinæ Maiestatis.

DOCV-

DOCVMENTA.

1. *CHRISTVS iniurijs & falsitate testium lacessitus, tacet: adiuratus vt veritatem profiteatur, respondet, etsi sciret hac de caussa esse plurima patienda: vt doceret nos, vbi Dei honos agitur non licere nobis vel cum vitæ periculo, veritatis professionem omittere.*

2. *Nequaquam faciles esse debemus in iudicando, aut actionibus seu verbis proximorum, in malam potius quàm bonam partem interpretandis; neque in credendo, si quid de alijs narretur mali, ne cum Caipha etiam facile erremus.*

3. *Cùm tentatione agitamur, de nulla re pronunciandum, aut certò aliquid in posterum statuendum est, Perturbatio enim animi, non modò efficit vt res exiguæ magnæ appareant, sed etiã veras cũ falsis confundit, quod apparet in Caipha.*

4. *Proprium est mundi, damnare eos qui verum dicunt: laudare, qui adblandiuntur. Itaque si quid rectè & verè locutus iudicaris blasphemus, noli turbari, neque ideo à dicenda veritate discede, quando idem euenit Christo.*

5. *Contemnenda sunt hominũ iudicia: neq; enim illi nos, si probi simus, efficient improbos sed timeamus ne coram Deo rei simus, qui de nobis sententiam latu-*

rus

rus est, non ex sententijs hominum, sed iudicio suo.

6. *Linguæ maledicorum & detractorum nihil omnino possunt nocere; quin potius, si velimus, plurimum nobis prodesse possunt: si quidem cùm humilitatẽ in nobis augeant, meliores nos faciunt.*

MEDITATIO DECIMASEPTIMA.

DE IIS QVAE CHRISTVS in domo Caiphæ passus est.

EVANGELIVM.

Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22.

TVNC viri, qui tenebant Iesum cedentes eum colaphis, expuerunt in faciẽ eius, & velauerunt eum. Alij autem palmas in faciem eius dederunt, & interrogabant dicentes: Prophetiza nobis Christe, quis est, qui te percussit? & alia multa blasphemantes dixerunt in eum.

FIGV-

FIGVRAE.

PHILISTEI cùm Samsonem luminibus orbassent, iusserunt illum coram se ludere; & in ipsum scommata iaciendo se recreabant. *Iudic.16.*

PROPHETIÆ.

CORPVS meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus. *Isaia.50.*

Faciem meã non auerti ab increpantibus & conspuentibus in me. *Ibid.*

Faciem tuam velabis, quia portentum dedit te domus Israel. *Zach.12.*

Abominantur me, & faciem meam conspuere non verentur. *Iob.30.*

CONSIDERATIONES.

POSTEAQVAM improbi illi ministri responsionem Christi audierunt, cùm tam altam veritatem non caperent, effundunt furorem suum in ipsum, vellentes barbam, faciem conspurcantes, dantes illi alapas, blasphemãtes, deridentes, & omni genere iniuriarum vexantes. Erat mansuetissimus IESVS quasi ouis, quæ coram tondentibus se non conquereretur, ac ne os quidẽ dulcissimum aperiret. Sed cogita quam acer dolor penetrauerit misericordissimum cor 1. Punctũ.

cor IESV, cùm sublatis parumper liuidis oculis,& circumspectans, num quis in tanta turba foret,qui olim affectus aliquo beneficio, vel audita ipsius doctrina saltem compateretur sibi, neminem vidit,nisi dilectum Ioannem solum;qui non sustinens aspicere iniurias, & illusiones Magistri sui,stabat alicubi in angulo amare flens. Vidit & Petrum inter ministros calefacientem se, dissimulantem se eius discipulum, & paratũ mox ipsum negare. O infinita & verè ignita bonitas,quam nec tot inimicorum iniuriæ,nec frigidissima nostræ ingratitudinis glacies, minuere & tepidiorem efficere potuerunt.

Galat.3. Iudæi cùm ad maius ludibrium obligassent oculos Saluatoris,vt olim Philistæi Samsonem,hoc modo illi Christũ ludisaciebant. Vide vt Sapientia Patris amore nostri quodammodo stulta facta sit. Vt enim nobiscum sapientiæ & scientiæ suæ thesauros communicaret, nostram sibi stultitiam assumsit, quemadmodum etiam vt nos hæredes faceret æternæ benedictionis, assumsit sibi nostram maledictionem.

Vide quomodo Deum amor nostri excæcauerit:Nam pro amoris in nos sui immensitate, nec videre, nec scire vult

peccata

peccata noſtra, ſed cum magna miſericordia diſſimulat expectans pœnitentiam. Vides, vt hinc magnitudo amoris oculos illi claudat & manus liget, ne nos puniat: inde verò vt videat, & aſperè vindicet, non in nobis, ſed in ſeipſo omnia, quibus nos in ipſum peccauimus. O inaudita bonitas! ô verè paterna viſcera! quis vnquam audiuit, quenquam ſubire mortem pro ipſis, qui eam inferunt? Itaque vt nullum magis horrendum nafas cogitari poteſt, quàm vt eò impietatis homo procedat, vt manus immittat in Deum: ſic nihil illa bonitate & caritate excellentius intelligi poteſt, qua Deus tot ſupplicia perferre voluit, pro ijs ipſis creaturis, à quibus ita cruciabatur.

Aſpice amabiliſſimam illam eximia ſpecie faciem totam liuidam, crudeliſſimarum manuum: verbera, veſtigijs impreſſis præferentem, turpiſſimis fædatam ſputis. Vides illam diuinam faciem, quæ tantis in cælo honoribus afficitur, cuius aſpectus lætificat totam ciuitatem Dei, iam in terris ita deformatam & contemtam, vt impij illi ſatellites, nullum putarent locum aptiorē, ad turpes ſputationes excipiēdas, quàm faciē Saluatoris. Infelices Iudæi non horretis

retis conſpurcare, & tanto contemtui habere illam figuram & imaginem Patris: & ſceleratis manibus inſtar mancipij verberare Dominum mundi? Sed nimirum, mi Domine, non tam illi ſatellites tantorum ludibriorum & contumeliarum autores erant, quam tumida mea ſuperbia, perturbationes immoderatæ animi mei, oris murmurationes, opera deniq; iniqua mearum manuum.

Tu verò anima mea, ſi tum coram hos deſpectus & illuſiones tui Redemptoris ſpectaſſes, quid quæſo egiſſes? quo amore illũ amplexatus eſſes? quanto cum pietatis ſenſu, deformatam faciem lacrymis abluiſſes? Spes cordis mei IESV, quis mihi det, vt ego pro te patiar? nam ego ſum qui peccaui, non tu. O ſpecioſiſſime forma præ filijs hominum, vnde tibi tanta deformitas? Verè, vt Propheta loquitur, factus es ob peccata mea, *opprobrium hominum, & abiectio plebis.* Erubeſce ô homo ſuperbe, qui quod ſis compoſitus & amictus exiguo cinere & luto, videris tibi eſſe aliquid, neque pati potes, vt ab aliquo tangaris. Vide quàm propter te ſit factus humilis filius Dei & gloria cæli: quantum illa excellens Maieſtas tua cauſſa contemtionis & deſpectus ſuſtineant?

COL-

COLLOQVIVM.

ROGABIS Christum D.N. quoniam tui amore non recusauit pati, vt diuina ipsius facies impuris Iudæorum sputis fœdaretur, sanctissimi oculi velarentur, ipse denique tot tamque indignis modis illuderetur: vt tibi det gratiam, qua mentem factam ad imaginem & similitudinem ipsius ita puram & nitidam serues, vt nullam ei cogitando, loquendo, agendo maculam aspergas. Dignetur item à corde tuo remouere velum ignorantiæ & animi ingrati: vt intelligens quantū pro ijs, quæ tua causa fecit & tulit, ipsius Maiestati debeas. in posterum maiori amore & diligentia ipsius honori seruias.

DOCVMENTA.

1. *FACIEM Christi conspuunt qui impuris cogitationibus aut cupiditatibus animam suam, id est, Dei imaginem fœdant.*

2. *Idem faciunt, qui Deo suam offerente gratiam, aut sanctis inspirationibus aliquid imperante, ipsi tamen ne consuetas imperfectiones deserere cogantur repugnant, & à se reijciunt.*

2. *Diuinam quoque faciem Iesu deturpant, qui sine reuerentia & sensu pietatis, non*

non expurgatis ex animo omnibus peccatorum sordibus, impuro ore, sanctissimum Domini corpus accipiunt.

4. *Illudimus Christo cùm vel pauperes, vel alios Dei seruos contemtui & ludibrio habemus.*

5. *Christo per linguam faciunt contumeliam, qui vel non satis reuerẽter de rebus sacris loquũtur, vel cùm sint religiosi, more secularium loquuntur, vel de proximo ea dicunt, quæ nihil ad audientium fructum faciant.*

6. *Oculos Christo obligant, qui factis excusationibus suas tegunt imperfectiones: quiq; sine verecundia & timore Dei tam audacter peccant, ac si non videret Deus.*

7. *Tunc item claudimus oculos Christo, cum Superiores nostros volumus esse cæcos; nos ipsos scilicet bono lumine præditos id quod facimus, cum laboramus vt superiores se nostris, non nos illorum iudicijs nosmet accommodemus.*

ME-

MEDITATIO DECIMAOCTAVA.

QVOMODO PETRVS TER Christum negauerit.

EVANGELIVM.

PETRVS autem erat foris in atrio, quem cùm vidisset ancilla ostiaria calefaciẽtem se dixit ei: Nunquid & tu ex discipulis es hominis istius? At ille negauit coram omnibus dicẽs: Non sum, neque noui illum, neque scio, quid dicis: Et exiuit foras in atrium, & gallus cantauit. Et post pusillum alius videns eum dixit: & tu de illis es. Et iterum negauit cum iuramento, & dixit: O homo non sum, nec noui hominem. Et post pusillum, interuallo facto quasi horæ vnius, alius quidam affirmabat dicens: Verè & hic cum illo erat, nam & Gali-

Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22. Ioan. 18.

& Galilæus est. Et qui astabant, dicebant Petro: Verè & tu ex illis es. Nam & Galilæus es, & loquela tua te manifestum facit. Dixit ei vnus ex seruis Pontificis, cognatus eius, cuius abscidit Petrus auriculam: Nonné ego te vidi in horto cum illo? Et Petrus iterum negauit dicēs: O homo nescio quid dicis, & cœpit anathematizare, detestari, & iurare, quia nescio hominem istum quem dicitis. Et continuò gallus iterū cantauit. Et conuersus Dominus respexit Petrum. Et recordatus est Petrus verbi, quod dixerat ei Iesus, priusquam gallus cantet bis, ter me negabis. Et egressus foras Petrus fleuit amarè.

PROPHETIÆ.

Iob. 19. *ABOMINATI sunt me quondam consiliari mei, & quem maximè diligebam, auersatus est me.*

Ibidem. *Inquilini domus mei, sicut alienum habuerunt me, & quasi peregrinus fui in oculis eorum*

CONSIDERATIONES.

1. Punctū. CONSIDERA, quemadmodum Petrus, cùm primus ille caritatis ardor

ardor in eo refrigesceret, denique totus frigidus inter improbos satellites stans, se calefeceerit. Calefaciebat se bonus Petrus, sed non poterat calefieri: etsi enim corpore adstaret igni, procul tamen aberat à vero illo igne, qui solus potest frigus dissoluere, quo congelabatur anima ipsius. Vide vt Petrus cùm abesset à Christo, & se ad ministros Diaboli applicuisset, tentationibus agitetur, vsque eò, vt ancillæ vnius verbulo tactus timore mortis vitam neget. Iustissimè sanè permisit Dominus, vt primùm à muliere vinceretur, ad præsumtionem reprimendam, simul ad nostrum exemplum, vt discamus humiliter de nobis sentire, neque nobis admodum fidere.

Considera, quantum detrimenti adferat animæ peccatum, quod non subitò per pœnitentiam emendatur, peccatum enim alterum, alterius pondere attrahitur, vt peccator è malo in peius delabatur, quod apparet in Petro. Is primò simpliciter negat: mox addit periurium: denique periurium cumulat execrationib. & maledictionib. Quid facis Petre? tantané est improbitas Christi vt pudeat te eius esse discipuli, aut vllo modo nouisse? Vbi nunc sunt illa, quæ paullò antè dicebas: *Domine animam meam*

pro te ponam? Non vides dum Principes Sacerdotum, falsa testimonia ad necem tui Magistri quærunt, te primum esse qui tua sententia illum condemnes, vt infimum & improbum hominem.

Considera Christo iam non solum inimicos, sed ipsos etiam amicos augere supplicia, & addere dolorem super dolorem: Primùm vehementer doluit, cùm ab vno discipulorum se prodi videret: accessit alter dolor, cum relinqueretur ab omnibus; ceniq; dolorem omnem superat, quod nunc videat eum, quem supra omnes extulerat, & tot singularibus ornamentis affecerat, quasi parum de ipso sollicitum stare inter suos inimicos: & quasi dedecori sibi duceret illius discipulum videri; negantem id coram omnibus, cum tanto contemtu & pertinacia.

Considera quanto cũ dolore amantissimus IESVS, verticem illum Apostolorum, firmissimam illam columnam tam miserè deiectam & prostratam viderît. Eheu quàm ex intimis visceribus mouebatur ad misericordiam infirmitatis & ruinæ sui discipuli. Erat quidẽ ipse tot carnificibus cinctus, oculos tamẽ magis in discipulũ conijciebat, quo modo illi opem ferret, quàm in se,

quem-

quemadmodum se ipse defenderet. Vt ergo animaduertit iam ruinæ vltimæ proximum esse Petrum (admissa tertia negatione) benignè faciem ad ipsum vertit,& oculis illum gratiæ adspiciens, accendit in obscura mente lucis diuinæ radios, vt Petrus repentè in se reuersus, agnitum crimen amare fleret.

Felices,quos tu Domine sic tuis oculis respicis. Illi videlicet diuinis colluſtrati radijs in secreto mentis suæ, videre possunt vitia sua & animæ suæ maculas. Quàm repentè illi se ad te conuertunt, quàm subitô corda ante frigida & dura molliuntur, inflammantur, amore liquefiunt,& suaues ex oculis voluentes lacrymas dicunt: *Domine quid me vis facere?* Sanè nihil magnopere est admirandum, amarè fleuisse Petrum: hoc magis mirum, non dissilijsse præ dolore cor eius, cùm apertis sibi à Christo oculis datum esset videre crimen, & cognoscere grauitatem iniuriæ, qua suauissimum suique amantissimũ Magistrum affecisset. Placeat tibi, mi bone IESV, vt illos plenos amoribus oculos paulisper ad animam meam conuertas quæ toties iam deuicta vocem ancillæ, id est malignæ carnis, tam ingrata te negauit & offendit.

COLLOQVIVM.

ROGA Christum D. N. quoniam ad eruditionem permisit ter se à fidelissimo Apostolo negari, quem deinde oculis suinę misericordiæ respiciens reduxit ad pœnitentiam: dignetur etiam te aspicere, & cor tuum illuminare: vt cognita grauitate peccatorum, quibus Maiestatem eius offendisti, dignè ea deflere possis neque in posterum vnquam permittat, vt ipsum seu verbis seu facto neges: neque pudeat te illius seruum esse, potius laudes ipsius perpetuò prædices, & ad mortem vsque sanctissimum illius nomen constantissimè profitearis.

DOCVMENTA.

1. *FVGIENDA est nostri iactantia, neq; nostra virtute fidendum: sed viuendum in perpetuo timore & humilitate, ne ruamus, vt Petrus ruit, tametsi vertex esset Apostolorum, omnes etiam caritatis ardore superans.*

2. *Loca & conuersatio hominum, qui occasionem peccandi præbent, cauendi sunt. Difficile est enim inter improbos esse probum. Petrus certè dum inter Apostolos agebat, mortem pro Christo optabat:*

inter

inter Iudæos indignissimè illum negat.

3. *Principijs tentationum eundum est obuiam, nec permittendum vt imperfectio quantulacunq; in animo confirmetur, ne in grauiora incidamus. Id cùm Petrus negligeret, primò contra Domini consilium dormiuit. Iterum fugit, mox negauit, deniq; periurium & sui ipsius execrationes adiunxit.*

4. *Lapsi fragilitate in defectum aliquem, non debemus spem abijcere, neq; in illo harere: sed repentè educere nos, vt Petrus fecit, dolore & pœnitentia, quod commissum est, emendare.*

5. *Quamdiu in aliqua peccandi occasione hæremus, ne cogitandum quidem est posse nos emendari, aut spiritu proficere. Vt Petrus interim dum est in domo Caiphæ potest sæpe labi in peccatũ, emendare se & amarè flere, nisi domo egressus non potest.*

6. *Negant Christum ad exemplum Petri, qui timore inani, aut vtilitatis vel respectu humano cessant loqui de ijs quæ decent, aut virtutis studium in aperto habere, quod studium cùm ab omnibus Christiani nominis officium, tum à religiosis sua professio exigit. Cogitent illi Saluatoris sententiam.* Qui erubescit me coram hominibus, erubescam & ego *Luc. 9.*

eum coram Patre & Angelis.

7. *Laboremus in eo, vt semper nobis ante oculos versetur imbecillitas nostra: neq; securi simus quod bona voluntatis conscij nobis simus. Instabilis est voluntas, & quauis tentatione mutatur, nisi à Deo seruetur & confirmetur.*

8. *Quamquam è peccato nostris nos viribus sine ope diuina erigere non possumus: tamen serui Christi, qui bona voluntate illi seruiunt, si fortè in defectum aliquem incidant, singulari quodam modo per secretas inspirationes à Spiritu sancto aspiciuntur & subleuantur, quod videmus in Petro.*

MEDI-

MEDITATIO DECIMANONA.

DE COMPASSIONE ET dolore, quem pijßima Ieſu Mater nocte qua captus eſt ſenſit.

PROPHETIÆ.

PLORANS plorauit in nocte, & lacryma eius in maxillis eius. Non eſt, qui conſoletur eam ex omnibus caris eius. *Thren. 1.*

Cui comparabo te, vel cui aſſimilabo te filia Hieruſalem, cui exæquabo te, & conſolabor te virgo filia Sion? Magna eſt enim velut mare contritio tua; quis medebitur tui? *Thren. 2.*

Repleuit me amaritudinibus, inebriauit me abſyntho. *Thren. 3.*

CONSIDERATIONES.

CONSIDERA nunc, anima mea, quid dolens Mater egerit, accepto acerbo nuncio de filio ſuo, ab inimicis crudelibus capto, quo modo quieuerit, aut quò iuerit, an fortè & ipſa quemad- *1. Punct.*

modum Apostoli Christum deseruerit. Et quomodo Maria potuisset suauissimum filium suum deserere, vitã vnicam cordis sui? Certè quamquam in fide vacillarint Apostoli, & sicut oues errantes percusso Pastore, omnes dispersi sint: non potuit tamen fieri vt in animũ Mariæ tanta gratia & fide plenum, vlla de filio caderet dubitatio; potius acerbus dolor & compassio illam occuparant. Etsi autem illa ardentius, quàm vlla vnquam mater, filium amauerit: tamen ita ipsius voluntas diuinam respiciebat, eiq; coniungebatur, vt quemadmodum Christus, non suam, sed Patris voluntatem fieri voluit. Sic Maria non parceret vnigenito Filio, sed vltrò eum pro salute mundi offerret. Non curauit magnanimitas huius Matris, acerbitatem gladij qui pertransiturus erat animam ipsius: nec cogitabat se preciosissimum thesaurum amittere, sed se ipsam, & quicquid haberet bonorum, manibus æterni Patris resignauit.

Considera, quantus ille dolor & cruciatus fuerit, quem pijssimæ parentis cor illa nocte persensit, qua dilectũ animæ suæ, cognouit desertum à discipulis, & ab ipso quodammodo Patre traditum in manus hominũ sceleratorum,

Co-

Cogita Virginem, vt erat plena Spiritu S. vidisse in spiritu omnes in illa nocte filij dolores, cruciatus, irrisiones. Vt enim ille innocentissimo corpori suo non pepercit, quin promptè illud pro salute hominum offerret morti: sic neque pijssimo cordi matris pepercit, quin doloris gladio sacaretur & laceraretur, idque ex insigni amore, vt illa quemadmodum dolorum, sic etiam meritorum suorum, esset particeps, vt vberibus eius, plenis omnium meritorũ, posset olim effundere lac gratiæ super eos, qui ad ipsam cum pietate confugerent.

O Maria verè amara quàm acerba, quàm mœsta, quàm tristis, quàm obscura fuit tibi nox illa: quàm crudeliter sæuijt in animam tuam gladius ille Simeonis! Cogita anima mea, quas voces miserit triste illud os, quæ suspiria, quos gemitus ediderit, quomodo nunc conuersa ad Patrem cælestem, illi dilectum filium commendârit, nunc ad ipsum filium, acri cum dolore dixerit, Iesu fili mi, ô fili mi Iesu, quis te mihi sic abstulit? quæ tam crudeles manus, suauissimum filium à matre carissima separarunt? O desiderabile lumen oculorum meorum, cur te non aspicio amplius, cur dulci aspectu tuo non exhila-

ras cor meum(Quis mihi det,fili mi,vt ego pro te patiar, & pro te moriar? Hei mihi, cur nō tecum iui ad mortem? cur passa te abire,nec statim vestigia tua sum insecuta? O Iesu dulcis, fili mi optime, vbi agis noctem hanc? in quorum manus venisti? quid hac hora pateris? Vtinam libeat Iudæis in me solam totum furorem effundere,vt tibi liberè abire liceret, quanto mihi iucundius esset mori, quàm te vnicum bonū meum, cùm tantis doloribus & molestijs conflictari.

Hoc modo Mater tristissima, totam illam noctem cū fletu, gemitu & planctu seipsam conficiebat, & quemadmodum crudelitas improborum non faciebat modum vexandi filium ipsius; sic gladius doloris non desinebat lacerare & excruciare cor pijssimæ Matris: nemo illi quicquam poterat adferre cōsolationis, aberat enim verus consolator, is qui sola sua præsentia perpetuum illi solebat adferre gaudium: hunc vocabat,& nō respondebat illi: hunc quærebat, nec inueniebat, denique victa amore,,& dolore impulsa,erigit se humo vbi iacebat,&comitata pijs illis mulieribus foras egreditur,ambulabat ipsa quò iret ignorans, in..ar vulneratæ ceruæ nunc in hanc, nunc in illam vrbis par-

te

tem, si fortè posset incidere, & desideratam filij faciem alicubi intueri, cùm nō inueniret, magis etiam se excrucians & gemens, ibat per vias & vicos repetens secum voces illas. *Num quem diligi anima mea vidistis? Qua ex vobis filia Ierusalem vidit, aut ostendere, potest mihi dilectum animæ meæ?* Can. 3.

COLLOQVIVM.

ROGABIS B. Virginem per illum amorem, quo filium prosequebatur, perque dolorem illum, quem de illo capto persensit, vt quamuis tu indignus & caussa sis dolorum tam ipsius quàm filij, patiatur tamen te esse ipsi comitem & socium, in omnibus mœstis stationibus, in quibus illa accessit ad Filium, vt cum oculis interioribus aspexeris, quanta pro te ferat Redemtor tuus, quamq; acerbos dolores mater ipsa patiatur: teipsum saltem excites per hos dolores, vt de te ipso doleas & fleas, & peccata tua, quæ tantis malis causam præbuerunt, odio prosequaris.

DOCVMENTA.

1. MATER *Domini appellata fuit Maria, id est, amara. Ita & nos amaritudine molestiarum, & dolore de*

peccatis facilius in anima concipiemus Iesum, quàm multarum consolationum suauitate.

2. *Quanquam videatur nos Dominus aliquando relinquere, subtrahens consolationes internas: nequaquam tamen cogitandum, amorem illius in nos diminutum esse sicut Matrem, etsi in tanto dolore & mœrore versari sit passus, non desijt tamen plus omnibus rebus creatis amare.*

3. *Si B. Virgo, quanquam vehementer amaret filium suum Iesum (cùm enim ipse esset summum bonum, amorem infinitum merebatur) tamen ne sua voluntas à Patris æterni voluntate diuersa esset, pro mundi salute, lubens passa est illum sibi auferri: maiori multo ratione decet nos seu pati spoliationem, seu impẽdere vltrò bona omnia fortunæ, ipsamq; adeò vitam si ita exigat vel diuinorum præceptorum obedientia, vel proximi salus, quin & ferendum est, vt Christo aliquando priuemur, id est, consolationibus spiritualibus, idq; pro amore ipsius Christi, & ad proximos, qui illius mẽbra sunt, adiuuandos.*

4. *B. Virgo, cùm captus esset Christus filius eius, neq; cum Apostolis fugit, neq; domi hæsit, sed egressa vt illum inueniret con-*

coniunxit se illi, non sine magno animi sui dolore, mansitq; cum illo ad finem vsque. Sic nos in rebus aduersis & tentationibus, non debemus fugere quæ molesta sunt, aut ea inuiti impatienterq; sustinere, nedum cessare à bonis actionibus, quoquo modo possumus exercenais: sed potius quæsitum ire Christum, atq; illius exemplum tamquam speculum intueri, atq; vnà cum illo fortiter ad mortem vsq; crucem ferre.

5. Si Domina nostra, gratia plena, in tantas tamen anxietates & mœrores incidit, vt dolor ipsius comparetur mari: quomodo nos peccatis pleni, nihil volumus pati, speramusq; nos sine vllare aduersa vitam acturos.

MEDITATIO VIGESIMA.

QVOMODO CHRISTVS mortis reus pronunciatus, Pilato sit traditus.

EVANGELIVM.

Matt.27. Marc.15. Luc.22.

MANE autem facto, consilium inierunt summi Sacerdotes cũ Scribis & senioribus, & vniuerso concilio, aduersus Iesum, vt illum morti traderent. Et duxerunt eum in concilium suum dicentes: Si tu es Christus dic nobis:& ait illis:Si vobis dixero non credetis mihi;si autem interrogauero,non respondebitis mihi, neque dimittetis. Ex hoc autem erit filius hominis sedens à dextris virtutis Dei. Dixerunt autem omnes: Tu ergo filius Dei es? qui ait:

Vos

Vos dicitis quia ego sum. At illi dixerunt, quid adhuc desideramus testimonium? Ipsi enim audiuimus de ore eius. Et surgens omnis multitudo eorum vincientes Iesum, duxerunt illum mane ad Pilatum. Tunc vidēs Iudas, qui tradidit eum, quod esset condemnatus Iesus, pœnitentia ductus, retulit 30. argēteos principibus Sacerdotum dicens: Peccaui tradēs sanguinem iustum. At illi dixerunt. Quid ad nos? tu videris. Et proiectis argenteis in templo abiēs laqueo se suspendit. Principes autem Sacerdotū consilio initio emerunt ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum.

FIGVRAE.

FILII *Iudæ duxerunt Samsonem ligatum, & tradiderunt in manus Philistæorum.* *Iudic. 15.*

Achitophel initio consiliarius, mox proditor Regis sui Dauidis, cum suum consilium non procedere intelligeret, *2. Reg. 17.*

domum

domum abiens laqueo sibi vitam abstulit.

PROPHETIÆ.

Gen. 49. *SIMEON Leui fratres vasa iniquitatis bellantia, in consilium eorum non veniat anima mea, quia in furore suo occiderunt virum. Maledictus furor eorum, quia pertinax, & indignatio illorũ, quia dura.*

Zach. 11. *Et tulit triginta argenteos, & proiecit illos in domum domini.*

Psal. 108. *Dilexit maledictionem & veniet ei, & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo, & induit maledictionem sicut vestimentum.*

CONSIDERATIONES.

1. Punctũ. CONSIDERA quæ Christus in illa acerba nocte perpessus sit. Improbissimi enim satellites & ministri Dæmonis, cùm illum columnæ alicui alligassent, non cessarunt illudere; & ex eo sibi quærere modum fallendi tempus, ne somno obruerentur, vt variè Dominum maiestatis ludibrio haberent.

Tacebat ad hæc omnia benignus Iesus, & pudore suffusus omnia amore nostri patienter ferebat. O noctem crudelem & tibi Domine mi, luctuosam,

qua

qua nihil tibi ad requiescendum ocij concedebant, nec ipsi somnū capiebant, qui ex tua vexatione voluptatem quærebant. O beatæ mentes cælestes, quomodo sustinuistis audire voces illas impias & contumelioſas, aspicere tam indignis modis eum tractari in terris, quē vos tanto honore colitis in cælo?

Sumno mane rursus conuenit cœtus ille sanguinarius, ad necem Christi. Nō dormiunt inimici Iesu, neq; exspectant dum exoriatur dies: neque enim seu pestilens inuidia, seu stultus furor, quibus animi illorum exardescebant, aliquam illis quietis partem concedebant. Erat dies illa tam Iudæis quam Christo desiderata, illis vt malè agerent, & irā suam aliquando totam in Dominum effunderent: Christo, vt mala sibi ab inimicis parata, illis ipsis in maius bonū conuerteret. Illi gaudebant in morte Christo afferenda, ipse in danda vita & salute hominibus. Dies obscura & Iudæis exitiosa: sed nobis dies serena & fortunata, qua author vitæ victoriam insignem de morte, de diabolo, de peccato relaturus erat. Laborabant aduersarij Christi, vt quantum possent, nouarum accusationum & calumniarum inuenirent, quibus gloriam ipsius obscurarēt & exstinguerent:

guerent : sed torrens caritatis illius perrumpet omnes obices, & diluuio quodam donorum cælestium & gratiæ totum orbem terrarum inundabit.

Considera, quomodo collecto iam impio concilio, iubeant coram adduci Iesum, quàm cupidi cognoscendæ veritatis dolo malo interrogent, vt apertè profiteatur, an ipse sit Christus; vt hinc calumniādi occasione arrepta tanto plus illorum causſa apud Pilatum postea valeret, quanto plures essent qui accusarēt. Ducitur Iesus vt agnus mansuetus ad cruentos lupos: apparet coram ijs habitu rei, ligatus, atq; etiam vexationibus miserrimæ illius noctis miserè habitus & deformatus, vt verè, sicut Propheta loquitur, nō esset illi species neque decor. *Isaiæ. 53.* Improbi igitur homines malignis illum aspicientes oculis, inter se insultando dicebant. Vbi nunc est audacia & arrogantia tua, qua in reprehendendo vti solebas? vbi miranda illa opera? vbi turbæ quibus falsa tua doctrina faciebas fucū? Tandē aliquando dignas factis tuis pœnas dabis. Ad hæc mansuetissimus Iesus tacens, & ex amore nostri illorum conuicia dissimulans, tanto libentius professus est & confirmauit veritatem, quā-

to eam professionem intelligebat plus valere ad sui damnationem.

Cogita quã diuersa fuerit illo Christi tempore plebs, ab ea quę fuerat. Vtinam illo tempore Patribus antiquis inter homines esse licuisset, qui Saluatoris aduẽtum tam ardentibus desiderijs exspectabãt! quales, magnus Patriarcha Abram, qui exultauit vt videret diem eius: manſuetissimus Moyses, qui apud Deũ tam vehementer instabat: *Mitte, quem missurus es*: & alibi, *Si inueni gratiam in oculis tuis, ostende mihi faciem tuam*: Sanctissimus Rex Dauid, qui Saluatoris desiderio flagrans; *Fuerunt*, inquit, *mihi lacryma panes die & nocte, dum dicitur mihi quotidie: Vbi est Deus tuus?* Item aliâs: *Excita potentiam tuam, & veni, & ostende nobis faciem tuam, & salui erimus.* Propheta magnus Isaias, qui perinde quasi longiores moras iam ferre non posset, exclamat: *Vtinam dirumperes cælos, & descenderes*: & alio loco: *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum: aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* Denique tot alij Prophetæ & viri, si in viuis hoc tempore fuissent, & suis ipsi oculis desideratam omnibus gentibus faciem contemplati essent, suis auribus (quod improbis istis

Ioan. 8.

Exod. 4.
Exod. 33.
Isaiæ. 22.

Psal. 41.

Isaiæ 64.

concessum

conceſſum eſt) voces illas ex ipſo ore Chriſti accepiſſent, *Ego ſum:* quomodo, putamus inexplicabili, quadam dulcedine animæ eorum liquefactæ eſſent? quomodo deficientibus viribus humi ſtrati venerabundi adoraſſent eum, quē iſti homines cooperti flagitijs & ingrati, vſq; adeò ſibi habent contemtui, quem reijciunt, quem denique capitis damnatum Pilato tradunt?

Noluit dominus ſanguinis ſui precium vllos in vſus impēdi præterquam caritatis; quemadmodum & totum ſe nobis ex caritate impenderat. Voluit igitur, vt eo compararetur ager figuli, in ſepulturam peregrinorum. Atque hoc loco conſidera, quomodo idē ipſe Chriſtus ſit figulus ager, & preciū agri. Principio enim ipſe eſt magnus ille figulus, qui totam hanc mundi machinam effecit, quique mortales omnes tanquam vaſa de terra formauit, ille ager, quia eſt noſtra poſſeſſio, hęreditas noſtra; & omne bonū noſtrum: ille deniq; precium, quia dādo nobis ſeipſum, ſibi nos emit: vt nos, quemadmodū peregrini in terra, in ipſo pace ſempiterna dormiamus & requieſcamus.

Pſal. 4.

COL-

COLLOQVIVM.

ROGABIS Christum D. N. per illum amorem, quo ab iniquitate Iudæorum tantas passus est iniurias & opprobrationes: & per dolorem, quẽ cordi ipsius, Iudæ desperatio & interitus attulit, vt tibi gratiam largiatur, qua forti animo & magna animi demissione feras, quæcunque tibi à mundo molesta accident, neue vllo vnquam, errore & peccato fiduciam de infinita ipsius bonitate amittas: sed mox dolens te lapsum esse, humiliter cõfugias ad ipsum, vt Patrem & Dominum tuum clementissimum.

DOCVMENTA.

1. CONSIDERA *exitum infelicis Iudæ, & animaduerte quẽadmodum in arbitrio Petri fuit negare Christum, sic in illius potestate fuisse illũ prodere, sed in neutrius manu fuisse, ad veram pœnitentiam conuerti. Itaq; caueat sibi quisq; ne per negligentiam vsq; eò in imperfectionibus & peccatis progrediatur, vt postea cùm pedem velit referre, nec per se possit, & multò minus à Deo adiuuari mereatur.*

2. *Cùm totam noctem Iudæi duxissent in il-*

in illudendo Christo, summo mane conueniunt ad eius necem. Vide quanto diligentiores sint administri Diaboli, in exsequendis cupiditatibus suis, quarũ premium futurum est, suppliciorum aeternitas, quàm nos in seruitute Christi, qui promittit nobis vitam aeternam.

3. *Inter tam multos, qui huic consilio aderant, non inuenitur vel vnicus, qui Christi innocentis patrocinium suscipiat. Sic in tanto Christianorum & Religiosorum numero paucos inuenire est, qui sua vtilitatis cogitatione planè abiecta solam pietatem & honorem Dei purè sequantur.*

4. *Si quando in aliquo leuiter impingamus, aut ope vel consilio egeamus: eundum est ad homines secundùm spiritum viuentes, qui & nobis compatiantur, & opem afferre & optimis nos institutionibus consolari possint. Ne imitemur Iudam, qui cùm ad Iudaeos confugisset, accepta responsione asperiore, desperans laqueo sibi vitam abrupit.*

5. *Diaboli haec est consuetudo, vt hominem efficiat caecum, ne grauitatẽ peccati prius videat, quàm admiserit, quo postea facilius in desperationem se precipitet. Sic nobis multi defectus nunc apparent leues, quos post, vbi ad mortem ventum fuerit,*

furit, grauiores opinione nostra cognoscemus, cum periculo fortè desperationis, nisi maturè resipiscamus.

6. *Quicunque ducti amore diuitiarum & temporalium commodorum, discedunt à seruitute Christi, & ad seculum reuertuntur, laqueo tenentur implicati vt Iudas.*

MEDITATIO VIGESIMAPRIMA.

DE CHRISTI APVD PILATUM accusatione.

EVANGELIVM.

ADDVCVNT ergo Iesum à Caipha in prætorium. Erat autem mane. Et Iudæi nõ introierũt in prætoriũ ne non contaminarẽtur, sed manducarent pascha. Exiuit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit ei: Quã accusa- *Ioan. 8.*

accusationem adfertis aduersus hominem hunc? Responderunt, & dixerunt ei Iudæi: Si non esset hic malefactor, nō tibi tradidissemus eum. Cœperunt autem accusare eum, dicentes: Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dari Cæsari, & dicentem se Christum Regem esse.

Luc. 23.

FIGVRAE.

Dan. 6. *PRINCIPES Regis Darij inuidentes Danieli, quod sibi prælatus esset, calumnijs apud Regem oppresserunt, vsq; eò dum traderetur ad mortem.*

PROPHETIÆ.

Psal. 63. *EXACVERVNT vt gladium linguas suas, intenderunt arcum rem amaram, vt sagittent in occultis immaculatum.*

Psal. 108. *Locuti sunt aduersum me lingua dolosa, & sermonibus odij circundederūt me, & expugnauerunt me gratis.*

CONSIDERATIONES.

1. Punctū. BENE mane adductus est IESVS ad tribunal Pilati. Vide, vt Dominus omni

omni tempore, omni hora aliquid patiatur, à vespera vsque ad mane: rursum à mane ad vesperam vsque, tota nocte vexatus, tota die sine intermissione cruciatus. Hora prima accusatur, tertia dānatur, sexta crucifigitur, nona exspirat in cruce, ad vesperam sepelitur. O mi bone IESV, magna fuit caussa, vt velles in singulas horas noua semper pro nobis ferre supplicia: quādo & nos quouis tempore & hora, nouis imperfectionibus & peccatis te lacessimus. AEquū est igitur, vt mutata vice ob tantum beneficium, quouis tēpore & hora te laudemus & tibi seruiamus.

Considera quomodo steterit Dominus mundi ante Pilati tribunal, instar ouis innocentis, quæ pro nostra salute se offerebat sacrificio: Sed Pilatus, vt iudex non sine superbia & fastu: circumstabant hinc improbi lictores & carnifices parati ad mortem & crucem adferēdam, quàm primùm lata esset sententia: inde turba illa funialis Iudæorum astabat, vt leones rugientes, & horrendis vocibus contrà Saluatorē personantes. Ille verò vt Agnus mansuetissimus tacebat, nec aperiebat os suum. Defigebāt in illum terribiles oculos impij Iudæi, & aspectu feroci dentibus in eum stridebant:

bant: at bonus & amabilis Iesus stabat cum modesto quodam pudore terram intuens, paratus bibere calicem sibi à Patre destinatum.

Vide quanta fuerit in Iudæis cæcitas. Putabant se contaminandos ingressu Prætorij, quod in eo causſæ capitis cognoscerentur: at sanguinem Christi innocentem effundere, quod tum maximè laborabant, id nihil habere sceleris arbitrabantur. Interrogati ergo à Pilato quam aduersus illum afferrent accusationem: *Si non esset*, inquiunt, *hic malefactor, non tibi tradidissemus eũ.* At ô ingrati & infelices Iudæi, dicite quæ sunt illa Christi malefacta, quibus vos iniurijs aut damnis affecit Saluator, vt illum malefactorem morte dignum iudicetis? An ideo malefactor est, quod cælestem vobis in terras doctrinã detulit? an quod infirmos vestros sanauerit, cæcis lumen vitam mortuis restituerit? Interrogentur ij quos dæmonibus obsessos liberauit, à quibus lepram verbo abstersit, tot muti, tot surdi, qui ab ipso auriũ & linguæ vsum recuperarunt, an Iesus, quãtã in illos beneficus fuit, malefactor fuit? Nimirũ omnes una voce nati illius caci verbis proclamarent. *Nisi esset hic homo à Deo, non posset facere quicquam.* Ioan. 9.

E contra vide, quam verè Christus

formã sibi malefactoris assumserit. Simul enim cum assumpta carne nostra, similitudinem sumpsit culpæ nostræ. Erat quidem ipse simplicissimus ille Iacob, sine vlla peccati malitia, sed quod amore nostri collo & manibus pelles nostras induisset, & vestes haberet reprobi Esau, eius loco habitus, atque adeò à Deo peruestigatus est. Hanc ob rem, quoties Saluator noster ad diuersos iudices de varijs criminibus accusatus est, neque defensionem, neque excusationem vllam adhibuit, vt indicaret velle se haberi reum, & tanquam reum pœnas & mortem subire. *Gen.27.*

O magna bonitas! ô caritas ineffabilis! Tu Domine, vt me tuæ iustitiæ amictu ornares, tibi meæ vitiositatis vestẽ induis? Tu vt verus peccator periculo te maledictionis exponis, vt nos hęredes efficias tuæ benedictionis, vt iure per Prophetam dixeris: *In me transierũt iræ tuæ, & terrores tui, conturbauerunt me.* Iusta enim ira æterni Patris, quæ in nos debebat effundi, & terrores grauiũ pænarum, quæ peccatis nostris debebantur, voluisti, vt simul irruerent in humeros tuos. *Gen.27.* *Psal.87.*

Accusatus est Dominus à Iudæis de triplici crimine. Primò, quod subuertat

gentem : deinde quod prohibeat dare tributum: denique quod se Regem faciat. O linguas mendaces! Non venit Christus vt dissensiones in populo concitaret, sed vt vos secum coniungeret, &

Matth. 27. congregaret filios vestros, sicut *gallina congregat pullos suos sub alis*: non venit vt tributum Cæsari debitum auferat, vt qui ipse pronunciârit, *Reddite, quæ*

Luc. 20. *sunt Cæsaris, Cæsari*: sed vt vos tributum Deo debitum penderetis, atque hac de caussa venit, & vobis seipsum donauit, vt ipsum æterno Patri offerentes, haberetis vnde Maiestati diuinæ debitũ solu-uere possetis. Denique non venit, vt instar Regis vos dominatu opprimeret, sed relicto suo regno, in terris formam serui induit, vt vos reges & hæredes cæli constitueret.

COLLOQVIVM.

ROGABIS Christum Dominum per humilitatem illam insignem & patientiam, quibus ipse iudex vivorum & mortuorum, voluit habitu reus stare coram iudice iniquo & tot falsa crimina & calumnias audire ab inimicis: vt tibi gratiam concedat, qua possis etiã patienter ferre ab hominibus mundi illatas contumelias & conuitia: tollat in-

à

à te propensionem illam excusandi peccata & imperfectiones tuas, vt dignus sis, qui à sua Maiestate recipias gratiam, quam negat superbis, & concedit humilibus.

DOCVMENTA

1. *QVOMODO nos Superioribus nostris nõ subiecti esse possumus, etiãsi nõ satis probi sint cùm videamus filium Dei tanta cum submissione stare coram Pilato? & quomodo nos terra & cinis aqualibus non cedamus, cum videamus Christum iudicem cæli & terræ, homini se submittere iudici Iudæo?*

2. *Patienter ferendum est, si qui ornati à nobis beneficijs, tamen aduersantur, & nos apud mundum accusant: idem enim à Iudæis passus est Christus: Nunc etiam quotidie patiẽtissimè à nobis id patitur, qui cum tot ipsius beneficijs obligati simus, tam negligenter tamen illi seruiamus, sæpissimè etiam peccatis offendimus.*

3. *Si quod à nobis rectè factum est, in malam partem accipiatur: cogitemus & Christum ipsam veritatem, habitum atque appellatum esse seductorem & malefactorem.*

4. *Accusamus Christum, cùm proximo nostro aut falsi aliquid imponimus,*

aut verum exaggeramus, aut sine causa alijs defectus illius apperimus.

5. Christum vt seductorem accusant ij, quos pœnitet audisse eius inspirationes, & cœpisse illius seruituti se dare: desiderantes videlicet redire ad ollas Aegypti.

MEDITATIO VIGESIMASECVNDA.

QVOMODO PILATVS CHRIstum interrogauerit.

EVANGELIVM.

Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 18.

INGRESSVS est ergo iterum Pilatus in prætorium, & interrogauit Iesum: Tu es Rex Iudæorum? At ille respondens ait: Regnum meum non est de hoc mundo. Si ex mundo esset regnum meũ, ministri mei vtique decertarent, vt non traderer Iudæis. Dixit itaque ei Pilatus: Ergo Rex

Rex es tu? Respondit Iesus: Tu dicis quia rex sum ego. Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati. Omnis qui est ex veritate audit vocem meam. Dicit ei Pilatus, quid est veritas? Et cùm hoc dixisset, iterum exiuit Pilatus ad Iudæos, & dicit eis: Ego nullã inuenio in eo causam. Et cum accusaretur à principibus sacerdotum & senioribus, nihil respondit: Tũc dixit ei Pilatus: Non respondes quicquam? non audis, quanta aduersum te dicunt testimonia? Iesus autem amplius non respõdit ei ad vllum verbum, ita vt miraretur Præses vehementer. At illi inualescebant dicentes; Commouit populum, docens per vniuersam Iudæam, incipiens à Galilæa.

PROPHETIÆ.

EGO *autem constitutus sum rex ab eo, super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum eius.* *Psal. 2.*

Testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus. *Isaia. 55.*

Posui ori meo custodiam, cùm consisteret peccator aduersum me.

CONSIDERATIONES.

1. Punctū. INTERROGAVIT Pilatus Christum, *Quid est veritas?* & mox respōsione nō exspectata, exiuit foras. Infelix Pilate, cur abijsti, nec illud respōsum expectasti, quod solū tibi ad bene beateq; viuendum satis esse potuisset? interrogas nempe quid sit veritas, at illa ipsa est tibi in oculis, nequè eam agnoscis, atque adeò relinquis, vt aures præbeas mendacijs Iudæorū? Facilè apparet Pilatum non egisse partes veritatis, qui cùm ab ipsius filij Dei ore accepisset, ipsum esse regem desideratum cunctis gentibus, qui ad hoc in mundum veniſſet, vt testimonium perhiberet veritati; non meruit tamen audire, quid esset veritas. Quanquam quid mirum de Pilato homine impio, qui se quendam quasi mūdi Deum constituerat, si cælestem hanc doctrinam tam nihili ęstimauit: nos ipsi, qui Christianum nomen profitemur, satis illam in paruo precio habemus. Ah mi Domine, quoties accessisti ad me, imò fugientem cursu persecutus es, impellente amore paterno, vocans me & cohortans: ego verò non audiebam non

obediebam.

obediebam. Quoties apprehendisti me, brachia collo meo innectens, vt in secreto auris meæ loquereris verba veritatis tuæ: & ego fugiebam, & auertebā me ne audirem aut facerem, quæ me ad salutem meam docebas.

Fatetur Pilatus se causſam mortis in Christo non inuenire. Considera quomodo innocentia Christi, qui apud suū populum, infinitis beneficijs ipsi deuinctum, nullum misericordiæ aut defensionis locum reperit, eundem inuenit apud Ethnicum hominem, qui illum ante non nouerat. Quam relictus es bone IESV, qui nullum habes qui tuam causſam suscipiat, excuſet & defendat te? Sacerdotes & populus Iudæorum: quorum tu de gente es, quique meritò tibi amici & defensores esse debebant, omnes tibi aduersantur: soli qui capitales tecum inimicitias gerere videbātur, te excusant, & iustum pronunciant, Iudas scilicet & Pilatus. Nam & Iudas profitetur peccasse se quod tradidisset sanguinem iustum: & Pilatus diserte ait, se non inuenire causſam mortis in illo.

Rectè dicis, Pilate, non inuenire te causſam mortis in Christo neque enim fieri poterat, vt in eo qui esset vera vita, inueniretur causſa mortis: sed si quam

reperire vis cauſſam, noli eam in Chriſto quærere, ſed in me, ego ſum illi cauſſa mortis, ego ſum pro quo moritur, in me inuenies magnam ſuperbiam grauc ingrati animi vitium, cordis duritiem inſignem, & tot alias mortis illi cauſſas, vt omnes enumerare non poſſim. Eſt & alia cauſſa in ipſo Chriſto, quam ideò non reperis, quia nõ quęris, ſi enim rectè quęſijſſes, inueniſſes in ipſo nõ leuiorem moriẽdi cauſſam, quàm in me: imò verò etiam grauiorem. Etſi enim grauis eſt culpa mea; longè tamen eſt maior caritas ipſius, quæ cauſſa eſt proxima illi ad moriendum. Ne igitur dixeris non eſſe cauſſam mortis in illo, ſed te non inuenire. Nam ſi cognitam haberes illius caritatem, obedientiam, miſericordiam, deſiderium ſalutis animarũ, ſimul ſi nouiſſes meam improbitatem, inuenires vtique in me multas & graues cauſſas, in ipſo verò longè etiam maiores.

Vbi animaduerterunt Iudęi, Pilatum inclinare ad Chriſtum abſoluendum, magnis agũt clamoribus, & nouas prioribus ſuperingerunt calumnias: *Commouit populum*, inquiunt, *incipiẽs à Galilæa vſque huc*. Vide quid poſſit inuidia, & quas tenebras animis Iudæorum offuderit,

offuderit, benefacta Christi malefacta interpretantur, & præclarissimas actiones criminis loco obijciunt, quasi ijs mortem sit meritus. Sanè subleuarat & commouerat populum Christus, non ad seditiones aut rebelliones: sed subleuerat à tenebris ignorantiæ, ad lucem veritatis, à morte peccati ad vitam gratiæ. Commouerat etiam populum, sed docendo, patrandis miraculis, curandis infirmis, mortuis ad vitam reuocandis, ijs deniq, rebus efficiendis, quas nullus vnquā mortaliū fecerat. Hæc non crimini, sed laudi & admirationi esse debebāt.

Considera rarum in Saluatore exemplū patientiæ. Nā lacessitus tot falsis criminationib⁹ inter tot cōuitia, tantā clamoris inconditi confusionem, quibus ad mortem expetebatur, mirum fuit, qua sit vsus patientia, non exiuit ex ore eius vox vna asperior aut durior, non se abijcit ad deprecandum pro sua salute, non lacrymis inimicorum iram placare conatur, aut iudicem ad misericordiam sui mouere, denique nihil fecit aut dixit, nisi quod animo forti magnoq; dignū esset. Quæ tum flāmæ amoris, bone Iesu, ardebant in tuo pectore, quas tanti torrentes & flumina iniuriarum non potuerunt exstinguere? Heu mihi!

quàm procul absum ego, à tanta tua caritate & patientia?

Ad extremum considera, miram ipsius humilitatem & mansuetudinem, qua corã Pilato stabat. Vide quomodo magnus ille & potens Dominus, iudex cæli & terræ, stet ante tribunal impij & vilissimi mancipij, ligatis manibus, demisso capite, omnib. calumnijs, iniurijs, & cõuitijs expositus. Vide vt aliquando respõdeat, plerunque taceat, cùm respondet, tanquam bonus Pastor docet & instituit suum gregem: cùm tacet, tanquã mansuetus agnus, qui pro toto grege in sacrificio mactãdus erat; humiliter omnia sustinet.

COLLOQVIVM.

ROGABIS Christum D.N. vt, quẽadmodum ipse, summa veritas, passus est se ex amore tui tam falsò & calumniosè accusari, non aperiens sanctissimum os suum: sic & tibi gratiam concedat, vt vitam cum virtute agens, libẽter pro gloria sanctissimi nominis illius feras omnem ab hominibus infamiam & calumniam, quoniam autem regnũ ipsius nõ est de hoc mundo, roga etiam, vt tu quoque honores omnes & fauòres humanos contẽnas, illud solum verum

verum & perpetuum regnum quærens, quod ille sibi fideliter seruientibus præparauit.

DOCVMENTA.

1. *SI regnũ Christi nõ est in mundo, non defigendus est in rebus terrenis animus, neq; hic, sed cum Christo in cælo quærenda solatia.*

2. *Ij se veritatis patronos profitentur, neq; tamen vt Pilatus, eam audire volunt, qui cùm probitatem Christianã aut religionem professi sint, oblata exercendæ virtutis occasione, nihil agunt: aut veritatem si quando illis dicatur, reïciant, nec illi volunt auscultare.*

3. *Aduersarijs & calumniatoribus nostris, si quando ignorantia peccent, respondendum est, vt ijs satis fiat: at si malitia, peccent, tacendum & ferendum: sicut Christus Pilato sæpius respondit, ad calumnias & conuitia Iudæorum semper tacuit.*

4. *Pilatus, cùm Christum ad omnia crimina tacitum videret, miratus est vehementer patientiam eius & virtutem. Sic & nos cùm iniurijs aut contumelia afficimur, plus tacendo apud aliorũ animos, quàm respondendo & defendendo proficimus.*

5. Si quando in ipsis laboribus pro salute animarum susceptis, facta nostra in calumniam vocentur solemur nos: quando & Christus D. N. post tot arumnas pro salute populi sui toleratas, seductor & concitator populi habitus est.

MEDITATIO VIGESIMATERTIA.

QVOMODO CHRISTVM Pilatus Herodi transmiserit.

EVANGELIVM.

Luc. 23. PILATVS ergo cùm audisset Galilęam interrogauit si homo Galilæus esset. Et vt cognouit, quod de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui & ipse Hierosolymis erat illis diebus. Herodes autem viso Iesu gauisus est valde. Erat enim

enim ex multo tempore cupiens videre illum, eò quod audiret multa de illo, & sperabat aliquod signum videre ab eo fieri. Interrogabat autem illum multis sermonibus. At ipse nihil ei respondebat. Stabant autem Principes Sacerdotũ & Scribæ constanter accusantes eum.

PROPHETIÆ.

EGO *autem tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus nõ aperiens os suum.* *Psal. 37.*

Tacui, semper silui, patiens fui. *Isaiæ 42.*

CONSIDERATIONES.

CVM improbi Iudæi viderent, non posse à Pilato id quod optabant impetrari, vt qui Christum Herodi transmitteret, ardentes videlicet ira, & totum furorem in mansuetissimum Iesum effundentes, inuadunt illum furibundi; pluribusq; quàm ante conuitijs & maledictis incessantes, raptantesq; per mediam vrbẽ ducunt ad Herodem: vbi pertinacissimè eadem illi, quæ apud Pilatũ, obiectare insistebant. Gauisus est rex impius aspectu Christi, non pietate motus, *1. Punctũ.*

tus, sed inani quadam curiositate: cùm enim esset rerum nouarum cupidissimus audissetq; de miris Christi operibus fingebat sibi magum aliquem, cuius opera sperabat ambitiosa & superba desideria sua expleri posse.

Interrogauit Herodes Christum multis sermonibus: at illi prudenter tacendo, inanem curiositatem silentio repressit, neque curauit, quod illuderetur & reprobaretur ab illo, vt nos illius reprobatio liberaret. Non æstimat Dominus ille, nec quærit amicitias magnorum & potentium in mundo, cuius cum humilibus sermocinatio est & conuersatio, neque hominum contemtus curat, qui in cælo honoratur ab Angelis. Vtinam ita faciat Maiestas ipsius, vt omnes penitus intelligamus, veram gloriam & honorem non esse in opinione & fauore hominum sitam, sed in sui ipsius rerumq; omnium contemtu. Hanc enim Christus elegit, atque in hac nobis imitationis reliquit exemplum.

Compatere nunc Redemtori tuo, & vide quomodo immutabilis ille & altissimus Deus, cui millia millium Angelorum assistunt & seruiunt: iam pro te instabilis & perpessioni obnoxius, sceleratorum hominum manibus indignis modis

modis hinc inde circunducitur, nunc ad hunc, nunc ad illum Iudicem, atq; apud omnes nouis criminibus falsò insimulatur. Quænam tibi quæso causa fuit, mi Iesu, vt omnia hæc perferres? quæ vincula tam immotum te inter furentes tam impacati maris fluctus tenuerunt? Non sanè catenę & funes à Iudæis iniecti, sed dulcis funiculi caritatis. Hæc te cælo detractum ad terram vsque demisit: hæc linguam tibi alligauit, ne defensione impedires tuam Passionem & nostram redemtionem: hæc tibi aures occlusit, ne audires, aut certè commouereris conuitijs, & maledictis in te coniectis: hæc in tã acerba irrisione & contemtu, immobilẽ te stitit aduersus omnes mundi & Diaboli machinas, qui tuam constantiam infringere laborabat, & sanctissimę animæ, si posset, aliquam impatientiæ notam inurere.

Disce hinc, anima mea, à Sponso tuo teipsum abnegare, & mori mundo, quod si optas grata esse sponsa, & fidelis eius imitatrix, tam debes tuam ipsius voluntatem & electionem abiecisse, vt patienter feras, si iubearis nunc progredi, nunc regredi; ascendere, dimittere te; ingredi, egredi; semperque obedias in omnibus, quanquam ea tibi aut potius sen-

sensualitati tuæ contraria & repugnantia, videantur. Sic enim & Christus Dominus tuus, sponte se ad omnes cruciatus obtulit, & lubens passus est trahi se ab hoc ad illũ iudicem, ab vno ad aliud supplicium, idque tuæ salutis caussa.

COLLOQVIVM.

ROGA Christum D. N. vt quemadmodum ipse interrogatus curiosè, & iussus mira quædam facere maluit humiliter tacere, quàm se defendens, & superbi Regis desiderio satisfaciens ab eo collaudari & absolui; sic tibi gratiam det, vt in omnibus dictis factisq; ad ipsius exemplũ, omnẽ laudis & inanis gloriæ captationem refugias: solũ tibi gaudio ac desiderio sit cũ ipso contemni & condẽnari, vt dignus habearis veris laudibus & honoribus ijs, quibus suos olim Deus coram Angelis afficiet in cælo.

DOCVMENTA.

1. *NIHIL profuit Herodi, cupidum iam diu fuisse videndi Christum, quia cupiditas illa non oriebatur ex desiderio emendandæ vitæ, sed ex curiositate, vt signum aliquod videret fieri. Sic nobis parum proderit præclara concipere desideria, nisi in defectibus emendandis ipsi operi strenuè manum admoueamus.*

2. Si

2. *Si Christus Herodi respondisset, rex illum scilicet laudasset, non ipse se emendasset. Exemplo fuit ergo nobis Dominus, vt inanem gloriam caueamus: nempe de rebus ex quibus neq; gloria Dei, neque proximorum vtilitas, sed nostra solùm laus existat, planè taceamus, & malimus cum Christo à superbis hominibus contemni, quàm inaniter prædicari.*

3. *Noluit Herodi curiosè quærenti respondere Christus, vt doceret nos in concionibus ac sermone non hoc sequi, vt curiosorum auditorũ intelligentiam pascamus; illud potius, vt pijs illos ad morum emendationem cõmoueamus affectibus.*

4. *Mors potius præoptanda est, quàm in gratiam cuiusquam mortalis vllum peccatum admittendum, vt Christus maluit ab Herode damnari, quàm curiosè ipsius cupiditati obsequi.*

5. *Diuina mysteria curiosè scrutari non debemus; neq; vt Herodes, cùm arido corde exiguum habemus pietatis sensum, multa cum Deo verba facere: neq; enim vlla responsione ab illo dignabimur.*

6. *Gratia & dona diuinitus communicata, nõ cuiuis aperienda sunt; sed ijs solùm à quibus fructus aliquis expectari potest.*

MEDI-

MEDITATIO VIGESIMAQVARTA.

QVOMODO CHRISTVS tanquam ſtultus ab Herode contemtus & irriſus ſit.

EVANGELIVM.

Luc. 23. SPREVIT autem illum Herodes, cũ exercitu ſuo, & illuſit indutum veſte alba, & remiſit ad Pilatũ. Et facti ſunt amici Herodes & Pilatus, in ipſa die. Nam antea inimici erant ad inuicem.

FIGVRA.

1. Reg. 23. *DAVID pro ſtulto habitus & contemtus fuit ab Achis Rege Geth.*

PRO-

PROPHETIÆ.

ASTITERVNT *Reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius.* *Psal. 2.*

Factus sum in derisum omni populo, tanticum eorum tota die. *Hier. 3.*

CONSIDERATIONES.

SPREVIT Saluatorem nostrũ Herodes, & pro stulto habuit. Quanto nobis hoc exemplum deberet esse solatio; quàm vehementer & nobis optandum esset, vt contemneremur & stulti pro Christo haberemur? ipse enim hæc pro nobis pertulit: neque vllo genere iniuriæ, aut conuitij, aut mendacij ab vllo appeti possumus, cuius nõ simile atq; adeò maius aliquid sustinuerit Christus. Ille enim dum viueret, habitus est homo nationis peruersæ, & à dæmone occupatus, cùm illi dictum est: *Nonne benedicimus nos, quia Samaritanus es, & Dæmonium habes?* Habitus etiam est pro Mago: *In Beelzebub*, inquiunt, *principe dæmoniorum eiicit dæmonia.* Itemq; pro vorace & vinoso, & malis artibus vtente, cùm dicerent: *Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum & peccatorum* *1. Punct.* *Ioan. 8.* *Luc. 11.* *Matt. 11.*

torum amicus. Aliâs pro blasphemo, quia Filiũ Dei se faciebat, & peccata remittebat. Ad extremum captus est à Iudæis tanquam latro: in Annæ domo reprehẽsus & percussus vt arrogans; apud Caipham impositа fuit illi blasphemia: tanquam iceleratus Pilato traditus; ibi à Iudæis accusatus, vt seductor, vt rebellis, vt regni affectator, vt sacrilegus. Nihil iã restabat aliud post tot ignominiæ genera, nisi vt stultus etiam haberetur.

Considera peruersum mundi iudicium. Verbum æternum, Sapientia illa increata, quæ fecit & regit totũ hoc vniuersum, ille, *in quo abscõditi sunt thesauri sapientiæ & scientiæ,* ab Herode atque eius aula iudicatur stultus, vestitur vt stultus, irridetur vt stultus O inauditum humilitatis exemplum! ô stultitiam & insaniam mortalium! Bone Iesu, quis te in hanc induxit stultitiam, vt tu pro nobis stultis & insanis stultus haberi volueris! Tu scilicet es magnus ille Noe, pater ille futuri seculi, qui cùm humanam nostram naturam tanquam vineam electam plantasses, deinde vino amoris erga illam ebrius factus es: Oculi sponsæ tuæ effecerunt, vt ex teipso exires. Amor nostri, suauissime IESV, & pulchritudo Ecclesiæ tuæ, ad

Colos. 2.

hanc

hanc te ſtultitiam produxerunt.

Iuſſit Herodes indui Dominum veſte alba, ſicut ſtultum & remiſit illum Pilato. Vbi conſidera miſerabilem illam egredientis & progredientis ſpeciem, cùm Redemptor mundi ab Herode ſic ſpretus, ab infimis mancipijs ridetur, pugnis, calcibus, verberibus è palatio protruditur. Vide quanto cũ contemtu & ignominia ipſum deducant, quot ſannis illum irrideant: ad ſingulas vias afflicto & fatigato IESV noua opprobria & dolores accumulantes. Inuolant in illum rabidi canes non ſine ſtridore & ſtrepitu, atque, quo maior ſit ignominia, ducunt eum vijs celebrioribus, & publicis locis Hieroſolymæ, ſi quis fortè occurrat in via, ei ad illudendum & ſubſannandum eum propinant. Fit concurſus ignaræ plebis, vident omnes habitum, alij ſublato cachinno illum ſibi ludos faciunt, cantant alij, alij conuitiantur, alij luto faciem aſpergunt, alij ſaxis, alij alijs ſordibus illum petentes tanquam ſtultum, planè conſpurcant, erant qui veſte, erant qui funibus quibus conſtringebatur, nunc huc, nunc illuc indignum in modum raptarent. Atque his illum iniuris & hac indignitate tractabant homines

ſcele-

sceleratissimi, vt mandata scilicet superbi & irati Herodis explerent.

Adspice nunc cum intimo dolore animi tui dilectum Iesum: vide vt incedat ærumnosus, quo pudore suffusa sit pulcerrima illa facies, quantis doloribus & supplicijs cor eius distringatur. Vide vt ad hoc nouum & inusitatum spectaculum confluant gentes: audiunt verba contumeliosa in ipsum iacta, vident incedere humilem Iesum in illo habitu indigno, tanquam agnum ligatum & mutum: ipsum adeò, quasi omnium horum criminum iam ante cõuictum, rubore inficere faciem sputis, sanguine, sordibus fœdam, verberibus sceleratarum manuum liuidam. Atque alij mirantur, alij exultant, nonnulli, vt credibile est, non ignari hæc illum immerentem sustinere, ex intimo doloris sensu lacrymas fundunt.

Considera & tu acerbè dolens, anima mea, quomodo Iesus sponsus tuus, lætitia cæli, & Rex gloriæ, tã fuerit contemtus & nihili habitus, vt iam non haberet formam hominis, sed terreni vermiculi, neque solum vt flagitiosus capitis damnatur, sed etiam vt stultus ab omnibus ludibriò habetur. I nunc homo tumide & superbe, qui coram Deo

fœdum

fœdum exhalas odorem, qui tantum ſtudium in ſacco ſordium, & nido vermium, delicatis & precioſis veſtibus exornando conſumis: interim Deus Maieſtatis, tua cauſſa, veſte alba & infami, more ſtulti, ad ludibrium indu̇itur.

COLLOQVIVM.

ROGABIS Chriſtum Dominum, vt quoniam ipſe, quamuis ſit æterna Sapientia, tamen ad noſtram ignorantiam & ſtultitiam luendam, voluit more ſtulti indui & irrideri: pati etiam vt ex vna via publica ad alteram, ab hoc ad illum iudicem mitteretur & remitteretur: cum tanto pudore & ignominia: det tibi gratiam, qua omnem humanam laudem & exiſtimationem deſpectui habeas, idq; ipſius caritate, atq; adeò exoptes ab omnibus nihili pendi, & quaſi pede calcari. Simul vt doceat te prudentiam mundi huius fugere, quæ apud ipſum eſt inſignis ſtultitia, vt aliquãdo peruenias ad ipſum, qui vera eſt ſapientiſſima, & certiſſima veritas.

DOCVMENTA.

1. *Si à mundo contemnimur, gaudeamus: nam ſi ab eo laudaremur, indicium eſſet improbitatis noſtræ: is*

mos est sæculi accusare bonos, improbos laudare, quod Christo accidit.

2. *Mundus cum suis, tum sermone tum factis vitiosis, virtutem & bonitatem nihili æstimat, atq; adeò pro stultitia habet. Quæ ex re colliges, quàm parui opiniones & iudicia mundanorum hominum facere debeamus.*

3. *Si deridemur & desipere putamur, eò quod Deo virtutibus persequendis seruiamus, nihil nobis triste videatur, sed lætum potius & iucundum, quod à similitudine Christi propius absimus.*

4. *Religiosum virum nequaquam abiecti & simplicis habitus sui pudere debet. Christus enim nostra caussa ne fatui quidem habitum recusauit.*

5. *Quoties aut plurium aut meliorum vestium, quàm status noster exigit, cupiditate tenemur: toties pauperi & humili Iesu illudimus.*

6. *Quamquam non expleuit votũ Herodis Christus, quippe quod nulli bono esset, alia tamen parte beneficium contulit, quod non petebat: dum cum Pilato illum restituit in gratiam. Sic si quando non concedat Dominus quod petimus, nunquam tamen nõ dat illius loco aliud melius, & aptius saluti nostræ.*

7. *Non satis fuit Herodi spreuisse Christum,*

ſtum, ſed remittit etiam indutum veſte alba & ridicula, vt eum alijs ſimiliter deridendum præberet. Id nos imitamur, quoties nõ contenti in animo iudicare de proximo, ſed verbis etiam ad audientes proferimus, vt & apud illos exiſtimationis iacturam faciat.

MEDITATIO VIGESIMAQVINTA.

QVOMODO BARRABAM Chriſto Iudæi prætulerint.

EVANGELIVM.

CONGREGATIS igitur principib⁹ Sacerdotum, & magiſtratib. & plebe, dixit ad illos Pilatus: Obtuliſtis mihi hunc hominem, quaſi auertentem populum; & ecce ego coram vobis interrogans, nullam *Luc. 23.*

cauſſam inuenio in eo. ſed neq; Herodes. Nam remiſi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte factum eſt ei: emendatum ergo eum dimittam.

Matt.27. Marc.15. Ioan.18. Per diem autem ſolemnem conſueuerat Præſes dimittere populo vnũ vinctum quem voluiſſent. Habebat autem tunc vnum vinctum inſignem, qui dicebatur Barrabas, qui erat propter ſeditionem factam in ciuitate & homicidium, miſſus in carcerem, Congregatis ergo Iudęis, dixit Pilatus. Quem vultis vobis dimittam, Barrabam an Ieſum, qui dicitur Chriſtus? Sciebat enim quod per inuidiã tradidiſſent eum. Principes autem Sacerdotum perſuaſerunt populo, vt peterent Barrabam; Ieſum verò perderent. Reſpondens autem Præſes ait illis: Quem vultis vobis de duobus dimitti? Tunc omnes vna voce clamabant dicentes: Tolle hunc, & dimitte nobis Barrabam. Reſpondit iterum Pilatus, quid igitur faciam de Ieſu: qui dicitur Chriſtus? At illi dixerunt: Crucifige, crucifige eum.

FIGV-

FIGVRA.

LEPROSVS, à lepra curatus duos offerebat passeres Sacerdoti, quorum alter offerebatur in sacrificio pro eius emundatione, alter demittebatur liber. *Leuit. 14.*

PROPHETIÆ.

LAPIDEM quẽ reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. Id est, Christus, quem lapis ille designabat, cùm à Iudæis coram Pilato esset reprobatus, factus est caput duorum populorum: Iudæorum & Gentilium, &c. *Psal. 117.*

Ego autem sum vermis, & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis. *Psal. 22.*

Et eligent magis mortem quàm vitam omnes qui residui fuerunt de cognatione hac pessima. *Hier. 14.*

CONSIDERATIONES.

PILATVS, remissum ad se Iesum, tum eius innocentia, tum misericordia, quod ita eum irrisum & miserè habitum videret, permotus liberare conatus est, idq; & primùm iustitiæ, deinde misericordiæ rationem tentans. Prin- *1. Punct.*

cipio negat se causſam mortis inuenire in illo, ne Herodem quidem damnasſe illum capitis. Deinde, quanquam esſet in eo aliquid culpæ, tamẽ cùm esſet consuetudo die festo solemni dimitti vnũ ex vinctis, egit, vt id Christo daretur, quod quo facilius impetraret à Iudæis, vnà cum Iesu sceleratissimũ quendam proponit, nihil dubitans quin illi præferretur Christus. Vide quanta fuerit Christi solitudo, in tanta multitudine repertus est nemo, quem eius caperet misericordia, aut qui eum defenderet: vt necesse fuerit Pilatum hominem impium & idololatram eius patrocinium susceipere.

Iudæi accepta à Pilato eligendi potestate, vna voce omnes Barrabam potius dimitti postulant. O populе verè ingrate & duræ ceruicis, qui oblitus à Christo mortuos tuos ad vitam reuocatos, petis eum dimitti, qui viuos trucidauit, vt latroni, qui alios vita spoliat, vita donetur, & innocens Iesus, qui se suaque omnia in beneficia tibi collata, tuamque salutem impendit, morte multetur. O insatiabilis feritas Iudæorum! ô commutatio infelix. In eligendo præferunt lupum agno; hominem odio dignum & sceleribus coopertum, vero iusto & innocenti:

nocenti: impium denique & cruentum latronem auctori vitæ. Miseri Iudæi qui mortem vitæ prætulistis: certè enim dum repudiatis Christum, qui est vita nostra, elegistis vnà cum Barraba mortem sempiternam.

Considera quantum mœroris & acerbissimi doloris, fuerit in corde benedicti Iesu. Etsi enim propter nos contemtum illum lubens ferebat; tamen sentiebat ingratissimos populi sui animos, nec poterat non dolere, de tam horribili & enormi peccato. Vide Sanctũ Sanctorum cũ scelerato latrone componi: & populo iudicium deferri, vter sit melior aut vita dignior, quo iudicio Christus ab omnibus reiectus & peior habitus: eique nefarius latro prælatus est.

Vide quàm acerbo odio atque inuidia cæcati sint Iudæi, qui ne suo quidem nomine dignantur appellare Christum, quod fecerat Pilatus; sed non hunc, inquiunt, sed Barrabam, quasi dicerent: Ignotus est nobis hîc homo, hunc quem non nouimus, nolumus. O fatui Iudæi! hîc est, qui leprosos morbo liberat, qui ægrotationes alias depellit, qui mortuos luci restituit, qui vos docet viam salutis, non nouistis hunc, & tamen è viuis sublatum cupitis: eum verò

qui innocentes bonis & vita exuit, petitis à morte liberari. Quæ grauior iniustitia vnquam sub Sole esse potuit. Sol ipse, credo, ad tam indignam iniuriam Creatori suo illatam radios retraxisset, flamma cælo delapsa esset, terra discessisset atq; impios illos absorbuisset, nisi Dominus ipse, ne qua parte passionem suam impediret, naturas coercuisset. Vbi attende profundissimā Christi humilitatem, voluit enim mori non modò vt reus mortis omnium ignominiosissimæ; verùm etiam cum homine illius tēporis omnium scelestissimo voluit cōparari,& voce publica pronunciari, latrone tali peior & morte dignior.

Sed dic mihi, Domine mi, quamuis lubenter pro nobis mortē subires; ideo enim in mundum veneras: tamen cùm tantā videres in nobis ingratitudinem, tantam malitiam, quæ non solos indignos hoc beneficio, sed etiam supplicijs infinitis nos dignos efficeret; quomodo nunquam tibi in mentem venit, vt sineres nos in nostris miserijs volutari: tanquam pœnitens boni, quod nobis facere cogitâras? aut quomodo non aliqua saltem ex parte remisit se ardor desiderij tui, cùm appareret nimium hoc esse, vt tanta ferres pro tam indigna

&ac-

& rebelli gente? O dulcis Iesu, etiã omnes nostræ in te iniuriæ, ligna erant ardentissimæ tuæ flammæ suggesta, & quasi ventus quidam vehemens, quo scapha desiderij celerius deferretur ad portum. Quare quò maius erat odium, rabies, & furor inimicorũ in te; eò maius erat gaudium tuum, quod hoc modo videres facilius te expleturum desiderium tuum moriendi pro gloria Patris, & nostræ naturæ redemtione. Hic ignis caritatis tã vehementer in te exarserat, vt omnia flumina suppliciorum, iniuriarum, & molestiarũ huius mundi eum non potuerint exstinguere.

Quod si alio modo rem perpendamus, nisi Iudæorum propositum fuisset malum, admodum conueniens erat hæc petitio Iudæorum, & iusta Pilati sententia. Vox enim populi huius, Barrabæ dimissionem & Christi mortem vrgentis, vox erat totius humanæ naturæ, & sententia à Pilato pronunciata, erat sententia diuina: ipsa enim veritas inquit, non alio fine se venisse in mundum, *nisi vt daret animam suam in redemtionem pro multis*. Barrabas autem latro & homicida nihil indicabat aliud quàm primum nostrum parentem, qui verus latro fuit, cùm contra Dei volun- *Matt. 20.*

tatem & iussum arboris vetitæ fructum rapuit, fuit & homicida, suo enim peccato omnibus posteris sententiam mortis imposuit. Hæc illa grandis contentio inter iustitiam & misericordiam orta, apud æternum & supremum iudicem. Adstrebat Iustitia honorem filij Dei rebus omnibus præferendum, hominem, qui iniustè diuinã sapientiam & similitudinem affectârat, in sua damnatione relinquendum. Misericordia viciſſim partes agens humanæ naturę clamabat, & pijſſimum Patrem deprecabatur, vt quoniam neque in cælo, neq; in terris alius esset auxilij ferendi modus, dignaretur homines dono filij sui, qui nostra indutus carne, & anima posita, pro soluendo peccati debito, homini peccatori vitam redderet.

COLLOQVIVM.

ROGA Christũ D. N. per insignem illam demissionem, qua à Iudæis reijci voluit, non indignans antelatum sibi Barrabam hominem scelestum, se verò morte dignum iudicatum: det tibi gratiam, vt quanto tu ipso inferior es, tanto desideres ardentius à mundo reijci, teque ipsum nouissimum inter omnes agnoscas, & submittas, neque vllo respe-

respectu aut timore humano virtutis studium, ipsiusque obedientiam deseras: sed ipsum semper præterres omnes, præter tuam vitam ames, timeas, & colas.

DOCVMENTA.

1. *SI quando bene agentes in mala sumus existimatione, peiusq; de nobis homines, quàm de ijs, qui nobis longè nequiores sunt, iudicant; adhibenda est patientia: cùm Christus Barraba scelestior habitus sit.*

2. *Barrabam præponimus Christo, cùm nostra iudicia aut voluntates, Superiorius sensui & voluntati præferimus. Item cùm virtuti vitium, spiritui carnem, honorem mundi honori Christi, sæculum religioni præponimus.*

3. *Cùm lente in aliquas imperfectiones trahimur, vel ne hominibus iniucundi simus, vel vt nobis iucundi, similes Pilato sumus, qui ne quid Iudæos offenderet, sed eos in gratia conseruaret, dimisit Barrabam, & tradidit Christum.*

4. *Nos qui profitemur sequi nos Christum, caritatẽ eius æmulari debemus, vt vitam, cùm res aut salus proximi flagitat, lubentes profundamus. Quemadmodum Christus, vt Barrabã humani gene-*

ris imaginem liberaret, ipse se condemnandum tradidit.

5. *Quàm sæpe fit, vt diuina inspiratio intus loquatur & suadeat, vt liberemus Christum, siue peccato aliquo omittendo, siue occasione tollenda: at nos vel operis difficultate, vel negligentia vincendi nos ipsos respondemus: Viuat Barrabas, & crucifigatur Christus.*

6. *Non debet nos paupertatis, vilium officiorum, existimationis apud homines exiguæ pudere, neq; enim puduit Dominum nostrum Barrabæ non modò comparari, verùm etiam postbaberi.*

MEDI-

MEDITATIO VIGESIMASEXTA.

DE FLAGELLATIONE Christi.

EVANGELIVM.

DIXIT igitur illis tertiò Pilatus: Quid mali fecit homo iste? Ego nullam causſam mortis inuenio in eo. Corripiam ergo illum, & dimittã: At illi clamabant, vt crucifigeretur; & magis inualeſcebant. Tunc ergo apprehendit Pilatus Ieſum, & flagellauit. *Matt. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 19.*

FIGVRA.

HIEREMIAS *Propheta verberatus, & in carcerem coniectus eſt, quod veritatem dixiſſet.* *Ier. 20. & 37.*

PRO-

Psal. 20. *ET fui flagellatus tota die, & castigatio mea in matutinis.*

Isaiæ 50. *Corpus meum dedi percutientibus.*

Isaiæ 1. *A planta pedis vsque ad verticem capitis, non est in eo sanitas:*

Isaiæ 50. *Reputauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum.*

Ibid. *Ipse autem vulneratus est propter delicta nostra: Attritus est propter scelera nostra.*

CONSIDERATIONES.

1. Punctũ. CVM animaduerteret Pilatus, non posse placari Iudæorum furorem, constituit insigni aliqua pæna animaduertere in Saluatorem, quæ satis esse videretur ad exstinguendam furẽtem rabiem, vsque eò saltem, vt hac contenti mortem vrgere non pergerent. Hoc est spectaculum magnum & admirabile, quale ab orbe condito nullum exstiterat. Cui enim vnquã veniret in mẽtem in humeros Dei flagella casura: & Dominum cælorũ, Creatorem rerum omniũ omnipotentem & glorioſum Deum eò descensurum, vt ad columnam ligaretur, tanquam mancipium & latro grauibus plagis diuerberaretur. Hæc tamen omnia

omnia effecit, anima mea, grauitas culpæ tuæ, & immẽsitas diuinæ in nos caritatis. Tam graue erat vulnus nostrum, vt ad illius curam opus esset tam acerbo & crudeli remedio.

Considera quàm inhumaniter lictores diripiant vestes de Saluatoris corpore, quomodo ipse patiatur se nudari nec os aperiat, nec vocem mittat ad tantam inhumanitatem & inuerecundiam. Stat ergo vestibus nudus, pulcherrimus omnium mortalium. Sed verbis explicari non potest quàm grauis fuerit hic pudor virgineo Christi cordi, vt nudus coram tot impudicis & sceleratis, hominibus consisteret. Etsi enim ipse, quod peccato careret, nullum haberet pudoris causſam, tamen quod in similitudine carnis nostræ esset, virtute verecundiæ præditus erat, idque tanto excellentius, quanto sine comparatione cùm aliorum Virginitatem tum castissimæ Matris pudicitiam sua puritate, superabat. Vide præterea quomodo diuina illa brachia, quæ cælum sustinent, distracta sint, & duris funibus non sine acri doloris sensu ad columnam alligata, quam columnam, pro animæ tuæ redemtione, dulcis Iesus magno cum amore & desiderio est amplexatus.

Ibi

Ibi impij milites incipiũt virgis, & horribilibus flegellis sæuire, in carnem mãsuetissimi illius agni, sic vt dum sine misericordia repeterent verbera, & plagas alias super alias ingererent, & vulnera priora posterioribus amplificarẽt, ab illo innocentissimo corpore sanguinis riui in terram vsque defluerent.

Vide quomodo Dominus Angelorum stet solus inter tot crudeles carnifices, nec vllum habeat, qui se defendat, aut pro se roget. O si quis cogitando essequi posset, delicatissimi illius corporis dolores, multoque magis crudeliores alios, quibus animum eius lacerabant peccata, & ingratus animus noster! Vertebat dolore afflictus Iesus, dolens caput, nunc in hanc, nũc in illam partem, circumspectans lacrymosis & misericordibus oculis, nunc hunc, nunc illum ex crudelibus illis ministris, si forte in quoquam illorum reperiret vestigium aliquod humanitatis & misericordiæ. Sed heu! omnes videt suis malis gaudere, & exultare supplicijs, eumque haberi misericordissimum, qui in ipsum fuisset crudelissimus.

Considera Iudæus, quod vererẽtur, ne Pilatus flagellatum dimitteret, curasse, vt tanta vi à ministris verberaretur, vt

inter

inter ipsam verberationem exspiraret. Itaque cogita quo modo benedictus Iesus fuerit tractatus. Nullus fuit in corpore locus sine vulnere, nulla pars sana: sed quemadmodū Propheta prædixit: *A planta pedis vsq; ad verticem capitis non erat in eo sanitas:* quod ipse ita fieri voluit, eò quod in Ecclesiæ corpore mystico, pro quo patiebatur, nulla pars sana atque integra esset. O electe Fili Dei mei, quæ procella te sublatū immisit in hoc tantum mare amaritudinis? Quid commisisti, vt tantam asperitatem & ignominiam mererēris? Ego sum homo ille peruitus, ego sum, qui caussa fui perditionis tuæ, ego vuam acerbam comedi, & dentes tui obstupuerunt, ego ille latro, qui manum extendi ad pomum vetitum, & tu pœnam quam non debebas exsoluis, vt rectè Propheta dixerit: *Disciplina pacis nostræ super eum*: Et alius alibi: *Quæ non rapui tunc exsoluebam.* *Isaiæ 1.* *Isaiæ 53.* *Psal. 68.*

Considera flagrātissimum in nos Redemtoris nostri amorem, qui quātumcunque nostra caussa patereter, nūquam tamen tantum potuit pati, quin plura adhuc desideraret, idque vt re ipsa certissimum nobis clarissimumque id faceret inditium ardentissimæ & incomprehensæ in nos caritatis. Itaq; cùm iam nulla

nulla pars esset in eo sana atque integra, manet tamen integrum & quasi recens desiderium maiora patiendi. Crudeliter sauciauerant & lacerauerant carnifices totum corpus: at cor ipsius amore integrum & inuictum in patientia conseruabat. Deficiebant lictores viribus in flagellando; in Christo verò non fatigabatur affectus plura patiendi. Iam preciosa eius caro & sanguis paullatim in terram decidebant & planè consumebantur: sed ipse ardentia ad cælum emittens suspiria, formosissimum & innocentissimum corpus suum, offerebat patri cælesti hostiam viuentem. Et quanquam omni ex parte crudelissimis doloribus vexaretur (singulæ enim plagæ, quod temperamentum corporis eius tenerrimum essent, ad ipsum cor vsque penetrabant) nihilominus tanto flagrabat desiderio satisfaciendi Patri, & hominis redimendi, vt amor quasi dominans in toto ipsius animo dolores, gemitus & querelas omnes suppresserit, nec posset aliud quàm amare, & ex amore pati.

COLLOQVIVM.

PETE à Christo, quoniam ipse amore nostri non recusauit calumnæ nudus

dus alligari, & tam crudeliter, in morem nouissimi serui pulsari verberibus & flagris: vt te confirmet gratia, qua patienter & moderatè omnia flegella, ab illo tibi peccatorum causſa imposita, feras, & quando ille ex sua virginea carne dissoluere voluit æs alienum, delectationum & superfluarum voluptatum, quod tu seruus vilissimus tuo corpore contraxeras: doceat te post hæc castigare & frænum adhibere carni tuæ, vt iusta asperitate & duritia vitæ eã coerceas, ne quid possit aduersus spiritum.

DOCVMENTA.

1. *QVI fieri potest, vt vnquam nos efferamus superbia, aut vestium splẽdore capiamur, aut desideremus magni fieri & alij esse veneratioui, cum videamus Deum nostrum cum maximo pudore nostra gratia nudatum palam consistere?*

2. *Non defensionem, non appellationem à Pilati sententia Christus adfert: vt doceat nos veri amatoris esse, promptum se exhibere ad perferendas etiam cùm culpa vacat, non verborum tantum, sed etiam verberum iniurias.*

3. *Vt Christ⁹ amore nostri voluit nudari, ita nos animos nostros spiritualibus Patri-*

bus

bus debemus aperire: ne ignominia nostra, extremo iudicij die, corã Christo & Angelis appareat.

4. *Discamus à Christo rationem tractanda carnis: non illi scilicet assentiendũ, sed rigore & asperitate continendam, & immoderatos appetitus frano regendos.*

5. *Si Christus passus est flagellari se ab inimicis, quanto magis decet nos lubenter accipere superiorum reprehẽsiones, & molestias, quas nonnunquam Deus nobis immittit, cùm ab his sciamus amari nos, & salutem nostram ab ipsis quari.*

6. *Si tanta fuit Christi in nos liberalitas in sanguine donando, etiam ne iniquũ est nos erga ipsum res nostras, & nos ipsos largiendo non esse liberales?*

7. *Si, vt Christi exemplum docet, in hac vita flagellari signum est in altera secuturæ gloriæ; nec possumus solatijs frui simul, hic & in futuro: gaudeamus & expetamus in hac vita cum Christo flagris cadi, vt in altera gloria illius participes simus.*

8. *Christus de tot iniurijs & ignominijs quas à Iudais patiebatur, neque verbo questus est, neque re vlla refractarium se ostendit: vt doceat nos, in vindicando honorem Christiani non esse, sed inferenda patienter si quam accepit, iniuria.*

M. E.

MEDITATIO VIGESIMASEPTIMA.

DE CHRISTI coronatione.

EVANGELIVM.

ET milites Præsidis suscipientes Iesum in prætorio, congregauerunt ad eum vniuersam cohortem. Et exuētes eum, chlamydē coccineam circundederunt ei. Et plectentes coronam de spinis posuerunt super caput eius, *Matt. 27. Marc. 15. Ioan. 19.*

FIGVRA.

ABRAHAM *vidit montem, qui vertice alios montes superēminens, spinis esset obsitus. Hunc cùm ascendisset, eo loci obtulit sacrificium filij Isaac.* *Gen. 28.*

PRO-

PROPHETIA.

Cant. 3. EGREDIMINI *filiæ Sion, videte Regem Salomonem in diademate quo coronauit illum Mater sua.*

CONSIDERATIONES.

1. Punctū. CONSIDERA supplicia, quibus adhuc Dominus affectus est, alia ad ignominiam, alia ad cruciatum adhita: nunc iam inuentum est à diabolicis ministris, quomodo simul summam ignominiam cum summo dolore coniungerent. Circumijciunt illi vestem regiam è purpura: caput aspera & senticosa corona cingunt: huic carnificinæ addunt ludibria, quasi in regni affectatorem, simul spinas acutissimas per caput illud venerandum imprimendo acerbissimos illi cruciatus afferebant. O manus sceleratas, ô coronam impiam? quis vnquam hoc supplicij genus fando accepit? quis animus tam serus & furens, qui excogitare potuit tale inuentū, quod ambigas plusne ignominiæ an doloris habeat? Nō sufficiebat, Domine omnia vsitata supplicia esse consumta in tuo corpore; nouos etiam modos Diabolus suis satellitibus sug[illegible]ministrat, quibus ignominiam augeat, & summo dolori alium superiorem adijciat.

Statu-

Status Christi in tam graui supplicio, similis erat oui, quæ tondetur: inflexa ceruice, facie in terram prona ferebat omnia, sine quærela aut excusatione, quę homines sua libido facere impulisset. Vide vt acutissimæ spinæ totum illud diuinum caput, in orbem tranſactæ, lacerent, & cruore proluant, qui pluuiæ instar à vertice distillans, perq; oculos, perq; diuinissimum os decurrēs, obscuret splēdorem illum omnem & eximiā speciem, vt in spiritu cōtemplatus eum olim Propheta rectissimè dixerit: *Non est species ei, neq; decor; vidimus eum, & non erat aspectus.* *Isaiæ 53.*

Non satis erant, ô IESV benedicte, tot verbera, quæ totum tibi corpus vulneribus compleuerant: non claui, quibus sanctissimi pedes manusque vulnerandæ & transfigendæ erāt: etiā spinę ad tuū cruciatum vocātur, vt sanguine caput exhauriant? O splendor gloriæ, ô speculum sine macula, quis tibi has tenebras offudit? quis te his maculis sordidauit? O limpidissimum Paradisi flumen, cuius dulcissimæ aquæ lætificant ciuitatē Dei, quis ita turbidum, ita amarū te effecit? Ah anima mea, tua superbia, tua excellendi cupido, dedecus hoc coronæ imposuit capiti Saluatoris:

spinæ

ſpinæ peccatorum tuorum inverticem illius impactæ ſunt: nimia veſtium cura & molites hac illum purpura induit & illudit.

Exite iam filiæ Sion: & videte verum regem veſtrum, in crudeli diademate, quo coronauit eum mater ſua, ingrata Synagoga, atque in ipſa noſtra, non iam humana, ſed inhumana natura. Liquefacta eſt dolore anima mea, & tota in lacrymas reſoluta: quia mearum manuũ opera ſcelerata, tam crudeliter coronarunt Dominum meũ & Deum meum. Intuere anima mea ſponſum tuum in purpurea illa & nuptiali veſte, quæ perſpicuum eſt indicium, quàm ineffabili miſericordia & infinito amore te proſequatur. Vide vt in die deſpõſationis tuæ viridem coronam geſtet, intextam rubicundis roſis purpurei ſanguinis: audi, vt pulſet, cor tuum dicens: Aperi mihi, Sponſa mea, columba mea, capiat te miſericordia dolorum meorum. *Quia caput meum plenum eſt rore ſanguineo, & cincinni mei guttis noctium quæ ſunt peccata tua.*

Cant. 3.

COLLOQVIVM.

ROGA Chriſtum D.N. quoniam ipſe Rex verus cæli & terræ, non recuſauit

fauit ludicra illa insignia fictitij Regis gestare, & coronam illam dolorificam, qua tam indignè à vilissimis hominibus derisus & delusus est: vt infundat cordi tuo gratiã, vt penitus sentias, doleasque de tanta pœnarum acerbitate, quam tua caussa ipse suscepit. Deinde vt mens tua semper compuncta sit spinis admissorũ peccatorum, quæ tantarum illi pœnarum caussam dederunt: vt posteaquam ea hic digna pœnitentia expiaueris, dignus olim habearis, qui ab ipsius bonitate accipias coronam glorię.

DOCVMENTA.

1. *PVRPVRA caritatis operienda est multitudo peccatorum & vulnerum animæ nostræ: vt Christus texit sanctissimi corporis lacerationem veste purpurea.*

2. *Per ludibrium regiam Christo vestem iniscimus, cum actiones in speciem bonas exercemus, sed quæ coram Deo, quod minus recta intentione fiant, vitiosæ, & sine vllo merito sint.*

3. *Non satis fuit Christo pati toto corpore, sed etiam capite, vt solueret pœnas inobedientiæ, quam admittimus non solum in exsequendis mandatis, sed etiam iudicio & voluntate propria.*

4. *Si nullam corporis partem voluit Christus doloris expertem esse; æquum est, vt nulla sit in nobis vel animi vis, vel corporis pars, quæ non in eius seruitio occupetur.*

5. *Coronam spineam cum Christo gestant, qui patienter ferentes huius vitæ tentationes & molestias, incedunt viam arctam & spinosam ad salutem.*

6. *Acrius pungunt, & plus afferunt doloris capiti Christi, inanes nostræ cogitationes, & vagæ distractiones animi in laudibus diuinis recitandis, quàm spina illius asperæ coronæ.*

7. *Qui se Christianos profitentur, ne minimum quidem molestiarum ferre possunt, & quauis exigua re turbãtur & prosternuntur, contemplentur hoc patientiæ speculum, vt sub capite spinis coronato, pudeat ipsos esse membra delicata.*

MEDITATIO VIGESIMAOCTAVA.

DE VARIA ILLVSIONE Domini Iesu in domo Pilati.

EVANGELIVM.

ET dederunt arundinẽ in dextra eius: & genu flexo ante eum illudebant ei, dicẽtes: Aue Rex Iudæorum. Et expuentes in eum acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius, & dabant ei alapas. *Matth. 27. Marc. 15. Ioan. 19.*

FIGVRA.

DAVID *fugiens Absalonem, cùm tristis, discalceatus, operto capite incederet, à Semei inimico maledictis, & irrisionibus, simul etiam iniurijs & contumelijs affectus est.* *2. Reg. 16.*

PROPHETIÆ.

Iere,20. *FACTVS sum in derisum tota die, omnes subsannant me.*

Ibidem. *Audiui cõtumelias multorum, & terrorem in circuitu.*

CONSIDERATIONES.

1.Punctũ. CONSIDERA nullam intermissionem aut quietem benedicto Iesu, ab impijs illis ministris dari, quin nũc ludibrijs, nunc supplicijs illum axagitẽt. Non erat illis satis, quod flagellarum & coronæ illius crudelitate illum excruciassent; addunt nunc etiam illusiones & contumelias, quæ animæ illi sanctissimæ cruciatum afferant. Vestiunt igitur illum regia purpura, non honoris, sed contemtus causſa: pro sceptro arundinem porrigunt, sed ea ipsa caput eius venerandum percutiunt. Adorant coram ipso positis in terra genibus, & regem salutant: & continuò ad conspuendas amabiles eius genas subsiliunt, maxillas palmis percutiunt, & honorabile collum exhonorant.

O mi dulcissime Iesu, si his colaphis & indignis illusionibus culpa mea expianda erat, satis ẽim ante in hoc genere passus eras: si tuo sanguine abluẽdę maculæ erant animæ meæ, iam per tot vul-

nera

nera & spinas, satis superque effuderas. Verè satis erat redemtioni nostræ non erat satis amori tuo; cuius impulsu si plº suppliciorum reperiri potuisset, plus sanè subire voluisses, & si plº sanguinis in corpore tuo fuisset, plus etiam pro mea salute profudisses.

Circumstabat māsuetum Iesum turba illa impia, quisque instar rabidi canis, alius illum hac; alius illa parte vellicabat: alij rident gaudentes sua scurrilitate, alij sibilant, alij elata voce clamant, vt tollatur è medio: alij Dominum Maiestatis more vilissimi serui tractantes acri irrisione dictabant: Tunè omnium bipedū abiectissime miser, & mendice Rex esse concupisti? vnde tibi hæc cogitatio? En tibi iam regium diadema imposuimus: ecce adoramus te, honorem tibi deferrimus, & insignia regia, illa ipsa quæ meritus es. O fatue, ô insane, quomodo tibi de tanta ambitione cogitare in mentem venit; ô hominum miserrime, nec aliter, quam hæc ipsa arundo inanissime & vanissime, vide quàm te stoliditas tua deceperit, vide quò te superbia deduxerit. Hæc & talia dum illudentes iactant, simul dolores vulnerum illius renouāt, percutientes caput arundine itaque spinas altius in caput impingentes. Heu

quot conuicia, quàm feroces aſpectus quot verba minacia, inter tot cruciatus & dolores pertulit pro nobis ingratis hominibus Dominus Maieſtatis? ille ipſe quem laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Virtutes, & Poteſtates cæleſtes, in cuius femore & ora veſtimenti ſcriptum eſt: *Rex regum & Dominus dominantium*, propter peccata noſtra à nequiſſimis hominibus illuſus, conuitijs appetitus, & verberibus laceratus eſt. *Apoc. 19.*

Conſidera quam humilitatē & manſuetudinem, inter tot acerbitates & irriſiones Saluator oſtenderit; tacens, & patienter omnia tui amore ſuſtinens. Age anima mea, quando in tanta vi populi, nemo eſt qui ſenſum vllum miſericordiæ habeat: tu ſaltē quia tua cauſſa hæc patitur, da operam, vt tuo dolore, aliqua illum doloris parte leues. Aſpice ridicularíam illam purpuram, vide ſpinas crudeles ſacrum caput pungentes, intuere ſceptrum in manu ipſius, ludibrij argumētum. Vide tot Vulnera, & plagarum vibices, omni ex parte corpori inflictas, vide ſanguinem, de facie continuò defluentem, vide lachrymas, quas tuus ingratus animus ex oculis amabilibus copiosè expellit denique contemplare di-

uinam

uinam illam faciem fœdatam liuentem sputis & plagis hominum perditissimorum. Age, inquam, moueant tibi misericordiam tantæ pœnæ, & dolens gemensque corde supplici, illum quem vides inter tot opprobria contemptum & derisum, humiliter adora.

COLLOQVIVM.

ROGA D.N. Iesum, vt quia ipse Dominus orbis, cui meritò curuatur omne genu cælestium, terrestrium, & infernorum, amore tui eò descendit, vt ab hominibus impijs simulatè adoraretur, & tot indignis ac malitiosè excogitatis ludibrijs & iniurijs afficeretur; tibi etiam gratiam largiatur, vt ipsius imitator verus, penitus asperneris laudes & gloriam humanam: contra vt amplectaris ingenti desiderio contemptum tui, omnesque vitæ huius molestias: deinde tantum tibi det, vt illi tãquam vero certoque Regi ex animo & cum fide seruias, vt aliquando liceat tibi contemplari æternam eius claritatem, qua tantam ipsius humilitatem Deus Pater remuneratus est.

DOCVMENTA.

1. SIMVLATE *Christum adorant,*

qui Religionem professi, vita nihil à secularibus differunt. Item qui in animo cogitationibus dissipati, sine sensu, exterius deuotionem præ se ferunt quiq; bonis monitis, quibus alios prudenter instituunt, ipsi non obtemperant.

2. Caput Christi arundine verberamus, cum immoderatis cupiditatibus rerum caducarum, aut alio quouis vanitatis & leuitatis genere, Christum, qui caput nostrum est, offendimus. Item cum in ipsius obsequio cessatores simus, vacui actionibus bonis, aut cùm in agendo aliud quicquã, præter ipsius gloriam, sequimur.

3. Cùm arundinis in modum sentimus nos esse flexiles, fragiles, & infirmos, in manus Iesu debemus nos collocare, ne tentationis ventus nos terra affligat.

4. Spuũt in faciem Christi qui quo tẽpore preces aut Dei laudes recitãda sunt, animum per alienas & inanes res vagum esse patiuntur.

5. Erubesce, humana superbia, cùm vides Dominum tuum & Deum arundinem manu gestantem, frusto vestis semiamictum, irrisum, & illusum ab hominũ genere infimo: & tu adhuc, qui te sequi illum profiteris, non sine cura quaris bonas & delicatas vestes, laudes & hominum famam captas.

ME-

MEDITATIO VIGESIMANONA.

DE CHRISTI AD POPVLUM *productione.*

EVANGELIVM.

EXIVIT iterum Pilatus foras, & dixit eis: Ecce adduco eum vobis foras, vt cognoſcatis, quia in eo nullam cauſſam inuenio: Exiuit ergo Ieſus portans ſpineam coronam, & purpureum veſtimentum, & dicit eis Pilatus: ECCE HOMO. Cùm ergo vidiſſent eum Pontifices, & miniſtri clamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum. *Ioan. 19.*

PROPHETIÆ.

O *Vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite, & videte, ſi eſt dolor, ſicut dolor meus.* *Ierem. 1.*

Et vidimus eum, & non erat aſpectus. *Iſaiæ 53.*

Facta eſt mihi hæreditas mea, quaſi Leo in ſylua, dedit contra me vocem. *Ierem. 12.*

CONSIDERATIONES.

1. Punctū. IN eam faciem Christus Dominus, per tot vexationes trāsformatus erat, vt Pilatus existimaret, ad duros inimicorum animos moliendos, solùm aspectum sufficere. Itaque producens illum foras, vnde aspici posset, diducta purpura, nudatum Iesu corpus ostendit, plenū vulneribus, & fluens sanguine, & dicit: *Ecce homo.* Apparet ergo egrediens Iesus, portans loco diadematis coronam spineam, ligatis manibus, arūdinem in dextra pro sceptro tenens, facie liuida & deturpata vibicibus, sputo, sanguine: oculi pleni lacrymis, barba & capilli diuulsi. Dicit ergo Pilatus: *Ecce homo.* Ecce, quem vos dicitis filium Dei se facere. Videte, vt nullum in eo signum sit diuinitatis; sed omnia hominis ignobilis & contemti. Ecce quem vos de affectato regno accusatis, Aspicite quam coronā gestet, nihil iam timendum ab eo ne rex fiat, qui nec speciem humanam retinet.

Perpende qua verecundia & rubore perfusus sit humilis Iesus, in oculis eorū, quos sibi infensissimos esse nouerat quantoque dolore affectus sit, cùm populi, quem tam eximiè amabat, tamque insig-

insignibus ornauerat beneficijs, tam auersos à se & contemptores animos esse intelligeret. Bone IESV, cui vnquam mortalium tam ferum & ferreum cor fuit, qui inimicum eo modo malè habitum & deiectum aspiciens, non aliquam caperet misericordiæ partem, & iram conceptam remitteret? tu solus repertus es, cuius calamitate nemo quisquam commoueretur aut indoleseeret. Insatiabilis est inimicorum furor, & quanta tibi ad cruciatus, tanta illis ad iram fit accessio, nec sitis illa sanguinis tui ante restingui potuit, quã te mortuum viderent in cruce.

Considera non potuisse fieri, quin & sancta Christi mater inter illas turbas versata sit, & miserandum illud spectaculum sit contemplata, formam illam dilecti filij membris à nouo inditam, & quantum videbat mutatũ illum, ab eo qui fuerat? quàm diuersum ab eo, quem ipsa toties brachijs suis amplexata erat, cui tãto cum amore & veneratione, manib⁹ suis officia materna præstiterat! Audiebat mœstissima parẽs sacrilegas illas voces, & impiorũ clamores contra Filiũ suum. Crucifige illũ crucifige illũ. Heu quantum intererat inter has voces & eas quas nascenti Christo cecinerant

Angeli! Sanè quot erant voces acclamãtium tot gladij sanctissimam illius animam pertransibant. Tota ergo mœroris & angoris plena, suspiciens dilectum suum tacita secum dicebat: Caritate tua vulnerata sum, fili mi, & amore tui morior.

Ades iam anima mea infirma, & misera. Ecce homo tãtoperè exoptatus, qui idcircò venit, vt deijciat te in piscinam sanguinis sui, vbi amissam valetudinem recipias. Ecce homo, qui cùm in forma Dei esset, amore tui factus est homo, qui cùm initiò te ad similitudinem suam creasset, nunc factus est ipse similis tui, vt faciat te consortem naturæ diuinæ. Ecce homo, qui venit, vt suo exemplo doceat te rectum ad cælum iter quod est in humilitate, cõtemtu, & patientia. Ecce homo, qui cùm neque reprehendendo, neque puniendo in nobis filijs refractarijs emendandis proficeret; in se vertit iram, & diuerberans laceransque faciem suam & capillos, in hac specie se nobis ostendit: vt cùm ipsum tam miserè deformatum videremus, agnosceremus grauitatem casus nostri. Ecce homo, quem tibi Pater æternus dono dedit: vt illius precio emas tibi hæreditatem regni cælestis.

Ioan. 5.

Philip. 2.

COL-

COLLOQVIVM.

ORA Christum D. N. vt quia ipse amore tui, voluit tanto cum pudore & contemtu ostendi inimicis à Pilato: gratiam tibi concedat, vt oculis animi hoc viuum humilitatis & caritatis speculum intuens, ex intimis sensibus illius dolore commouearis, vt cùm intellexeris quanta ille tua caussa sit passus.atdentius illum ames, atque ex hoc amore desideres & te contemni, & nihili fieri in mundo.

DOCVMENTA.

1. CONTEMPLARE *Dominum illa specie, qua fuit à Pilato ostensus, id est, humilem, nudum, flagellatum: & cogita, si ipse sit via, hâc eundum tibi esse, si quidem ad vitam cupias peruenire.*

2. *Si consideremus ignominiam regis Angelorum, non magnopere solliciti erimus, quo loco nos habeat mundus. Ne ergo pudeat nos pro Christo apud homines esse contemtui: quando ille coram inimicis suis tanto pudore sustinuit affici.*

3. Ecce homo, *inquit Pilatus. Volebat Dominus ostendere, talem esse hominem per peccatum in animo: plenum scilicet vulneribus & doloribus, qualem ille se*

tum in corpore suo sanctissimo demonstrabat.

4. *Si miserabilis Saluatoris aspectu, nō potuit inimicorum animos retrahere ab inferenda illi nece: debet saltem nos, qui amicorū nomine censeri volumus, à continuis ipsius offensionibus retardare.*

5. *Christum flagellatū & contemtum ostendunt populo, qui vocatione sua relicta, cum Christi contemtu & bonorum scandalo se mundo ostendunt.*

6. *Si peccatis aut tentationibus occupati sumus, ostendamus Saluatoris hanc speciem æterno Patri, quam Pilatus Iudæis ostendit. Si enim ea erat illius species, quæ animos hostiles mouere posset, quanto facilius, viscera paterna mouebit, vt misereatur nostri.*

MEDI-

MEDITATIO TRIGESIMA.

DE ITERATA IVDÆORVM apud Pilatum petitione mortis Christi.

EVANGELIVM.

RESPONDIT Pilatus Iudæis: accipite eum vos & crucifigite: ego enim non inuenio in eo cauſſam. Reſponderunt ei Iudæi. Nos legem habemus,& ſecundùm legem debet mori, quia filium Dei ſe fecit. Cùm ergo audiſſet Pilatus hunc ſermonem, interrogauit Ieſum, vnde es tu? Ieſus autem reſponſum non dedit ei. Dixit ei Pilatus. Mihi non loqueris? Neſcis quia poteſtatem habeo crucifigere te, & poteſtatē habeo dimittere te? Reſpondit Ieſus: Non haberes poteſtatem aduerſus me vllam, niſi tibi eſſet datum deſuper *Ioan. 19.*

per: Propterea, qui me tradidit tibi, maius peccatum habet. Exinde quærebat Pilatus dimittere eum. Iudæi autem clamabant; Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Pilatus cùm audisset hos sermones adduxit foras Iesum, & sedit pro tribunali, & dixit Iudæis: ecce Rex vester. Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regem vestrum crucifigam? Respondérunt Pontifices. Non habemus Regem, nisi Cæsarem.

FIGVRA.

Dan. 6. *CVM Danielem à Satrapis per inuidiam accusatum, apud se Darius Rex cuperet liberare: Satrapæ institerunt, vt neci daretur, denunciantes regi, negligentem illum legum Persicarum videri, nisi Danielem condemnaret.*

PROPHETIÆ.

Psal. 63. *FILII hominum dentes eorum arma, & sagitta, & lingua eorum gladius acutus.*

Lin-

Linguis suis dolosè agebant, venenum aspidum sub labijs eorum. Quorum os maledictione & amaritudine plenum est: veloces pedes eorũ ad effundendum sanguinem. Psal. 65. Psal. 13.

CONSIDERATIONES.

VT nihil relinqueretur, quod doloribus exhausto Saluatori augere posset cruciatum, vide vt omnes rationes & modi ad eum liberandum excogitati, in maiores ipsius pœnas & ignominiam verterint. Primùm, quòd Pilatus innocentiam Christi probaret, hinc factum est, vt Iudæi illum plurimis mendacijs & calumnijs infamarent. Deinde, quod cogitatu est horribilius, quod Pilatus Barrabam cum Christo composuerit, vt facilius dimitteretur Christus, causſam dedit, vt cum maiori infamia præferrent illi latronem publicum: Christum verò, vt hominem pestilentissimum, de medio tollendum clamarent. Tertia ratio, qua Pilatus condemnationem Christi reijcere conatus est, cùm eum ad Herodem mitteret, nouam illi infamiam conciliauit, & nouas vexationes, vt illuderetur tanquam stultus. Quarta, qua per flagellationem vitam saltem illi seruaturum se sperabat, maiorũ malorum Christo

1. Punct.

Christo fuit initium: Iudæi enim hacà Pilato accepta licentia, plus illi vexationum attulerunt, curantes vt spinis coronaretur, alijsq; modis variè deluderetur. Quintò, cùm Pilatus ad mitigandam, vt putabat, Iudæorũ iram ostendit sic flagris conc[illegible]sum & malè acceptum: dedecus illi maius coram toto populo attulit, quare & acrius institerunt, vt planè de medio tolleretur. Deniq; cùm difficilem se præberet Pilatus, & absoluendi causſas quæreret, occasionẽ Iudæis dedit, vt quando alia nulla via succederet, inuenirent certam quandam, qua facilè Pilatum impellerent, ad obtemperandum voluntati suæ: vt nempe obijcerent illi gratiam & honorem Imperatoris. Hæc fuit fossa, in quam miser Pilatus incidit; vt pateretur, timore Cæsaris offendendi, ad condemnandum Saluatorem se induci.

Dixerunt Iudæi: *Secundùm legem debet mori, quia filium Dei se fecit.* Videquàm verè dicant Iudæi, quamuis malo animo & diuerso sensu, atque sic fieri conueniebat. Cùm enim Christus esset verus Dei filius, necesse erat illũ mori: conuenit enim vt artifex, qui opus aliquod facit, idem reficiat. Per filium Dei, Verbum æternum, vniuersi conditi su-

tisumus: *Omnia per ipsum facta sunt:* ab eodem redimi nos æquum erat. Sic lex tot sacrificijs nihil aliud indicabat, nisi mortem filij Dei, & tot Prophetarũ voces hoc vnum sonabant Oportet mori Christum & sanguine testamenti educere captiuum genus humanum, è potestate Diaboli. *Ioan. 2.* *Zach. 9.*

Benedicte Iesu, nulláne tibi alia ratio fuit vulnerum nostrorũ curandorum, quàm vt tantum pœnarum & opprobriorum sustineres? Sanè verò complures sed nulla erat, in qua clarius infinita tua bonitas & sapientia eluceret. Bonitas, quia sine vlla tui obligatione, sine vllo nostro merito, elegisti eã rationem quæ difficillima esset: vt parturires nos tanquam mater cum tanto tuo dolore & molestia. Sapientia, quæ vt in creatione potentia, sic hæc in redemtione clarissimè à te ostensa est, eò quod inuenit modum cõuenientissimum nostræ culpæ, artificiosissimum ad fallendum dæmonem, suauissimum ad trahenda corda nostra ad te, ad amorẽ scilicet, & imitationem tui.

Responderunt Pontifices: *Non habemus Regem nisi Cæsarem:* Infelices Iudæi, quos vsq; eò tenebris inuoluit cæca inuidia, vt abiecta libertate maluerint

serui

ſerui eſſe terreni Cæſaris, quàm regnum æternum obtinere cum Chriſto. Prætulerunt intolerabile iugum dæmonis, leui & ſuaui iugo Chriſti. Tum merito ſuo deſijt eſſe populus ille electus Dei, vt
Dan. 9. inquit Propheta Daniel: Et non erit eius populus, qui cum negaturus eſt.
Ioan. 1. Tum *lux illa qua venit in mundum vt illuminaret omnem hominem venientem in hunc mundum*, cùm à Iudæis nõ reciperetur, conuertit ſe ad gentes, quæ in tenebris ignorantiæ & obſtinationis
Matt. 21. ſedebant. Tunc ablatum eſt ab illis *Regnum cæleſte, & datũ genti facienti maiores fructus.* Tunc in illis locum habere cœpit parabola illa Domini, cùm reuerſus nobilis & potens ille poſt ſubiectum ſibi regnum, animaduertit & oc-
Luc. 19. cidit omnes, qui dixerãt. *Nolumus hunc regnare ſuper nos:* quod idem Iudæis vſu venit, qui cùm Chriſtum regem nollẽt accipere paullò pòſt à Romanis quibus traditi erant, omnes ſunt vel trucidati, vel toto orbe diſperſi.

COLLOQVIVM.

RÓGABIS Chriſtum Dominum, pro infinita illa ſua humilitate & mãſuetudine, qua tribunali Pilati aſtans exſpectabat ſententiam illam iniquam, qua

qua nobis timorem seueri & diuini tribunalis sui adimeret: vt per ipsius gratiam seuerè te ipsum diiudicans in hac vita, patienter aduersa omnia sustineas quæ ille pro peccatorum tuorum pœna persoluenda euenire sinit: vt in extremo iudicio, securè possis ante oculos Maiestatis illius consistere, ipsumque, vt verum Regem & Dominum, æterna laude & benedictione prosequi.

DOCVMENTA.

1. *IVDÆI animi perturbatione cæcati, scelus scelere cumulant. Cauenamus ne vllum peccatum in mentem admittamus, ne per illud excæcati in alia incidamus grauiora, nõ discernentes, quid iustum, quid saluti nostræ conducibile sit.*

2. *Christus à Pilato interrogatus vnde esset, non respondit: vt discamus non esse proïciendas margaritas ante porcos, neq; de rebus sublimibus agendum apud homines indignos, & non intelligentes, ne eas contemnant.*

3. *Non debemus, vt Pilatus, potentiæ aut sapientiæ nostræ quicquam attribuere: sed agnoscere omnia profecta esse à Deo, sine cuius voluntate, nec folium arboris commouetur.*

4. *Si omnis potestas est desuper, vt nec homi-*

homines, nec dæmones quicquam contra nos possint sine diuino nutu, nemo in tentationibus, periculis, rebus aduersis timendus est, nisi solus Deus, & sperandũ nihil illũ permissurum, nisi quod ipsi maiorem gloriam, nobis vtilitatem afferat.

5. Auscultant vocibus mundi dicentis: Si hoc facis non es amicus Cæsaris: *qui tacita Dei inspiratione, ad bonũ aliquod faciendum excitati, aut ad imperfectionem vel peccatum aliquod deserendum, respectu humano non obtemperant inspirationi.*

6. Iudæi quod repudiato Christo Cæsarem regem suum vellent, in tot mala inciderunt, & in perpetuam seruitutem: Sic qui relicta seruitute Christi, ad mundum redeunt, perpetua fiunt mundi mancipia, & cum mundo pereunt.

7. Sæculares, qui viuunt ex præscripto legum mundi & carnis, operibus suis clamant: non habere se Regem nisi Cæsarem. Religiosi item cum suo, non Superiorum iudicio & voluntate regi volunt, Rege cælesti repudiato, adhærent terreno.

MEDI-

MEDITATIO TRIGESIMAPRIMA.

DE CHRISTI D. N. condemnatione.

EVANGELIVM.

SEDENTE Pilato pro tribunali, misit ad eum vxor eius dicens, nihil tibi & iusto illi. Multa enim passa sum hodie per visum propter eum. Pilatus autem videns quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta aqua lauit manus coram populo, dicens: Innocens ego sum, à sanguine iusti huius, vos videritis. Et respondens vniuersus populus dixit: Sanguis eius super nos, & super filios nostros. Tunc Pilatus volens satisfacere populo adiudicauit fieri petitionem illorum, & dimisso Barraba. Iesum flagel-

Matt. 27.

Marc. 15.
Luc. 23.

flagellatum tradidit voluntati illorum.

FIGVRA.

3. Reg. 21. NABOTH *innocens, à principibus Iezraël, iussu impiæ Iezabelis, iniquè damnatus est ad mortem.*

PROPHETIÆ.

Psal. 88. EXALTASTI *dexterã deprimentium eum, lætificasti omnes inimicos eius.*

Psal. 93. *Captabunt in animam iusti, & sanguinem innocentem condemnabunt.*

Sap. 2. *Morte turpissima condemnemus eum.*

CONSIDERATIONES.

1. Punctũ. VIDENS Pilatus nullo modo se posse liberare Christũ: sed quò ipse magis instaret, eò magis vesaniam & furorem Iudæorum crescere, lauando coram impia multitudine manus, se innocentem dicit à sanguine iusti. Illi verò horrendis vocibus, *Sanguis eius*, exclamant, *super nos, & super filios nostros.* O inuidiam inauditam, ô maledictũ odium. Quanto dolore putamus distractum fuisse misericordissimum cor Iesu, cuius natura est bonitas, cùm videret tam peruersum & pestilentẽ populi sui animum:

mum: quanta in se crudelitate & odio exarsissent: quantopere sanguinē suum sitirent, vsque eò, vt se cum tota posteritate æternæ subijcerent maledictioni & horribili vindictæ diuinæ iustitiæ, tantum vt se ad mortem & crucem adigere possent.

Pilatus ad extremum superatus, tum importunitate Iudæorum, tum multo magis timore, ne apud Cæsarem in calumniam vocatus gratia eius excideret, reiecta planè iustitia & æquitate, pronunciat sententiam iniquissimam: vti Saluator mundi, quod regiam sibi potestatem vsurpasset, in crucem ageretur. O iudicium præposterum! ô iniustam & crudelem sententiam! ô iudicem perfidum & iniquum! Paullò ante profitebaris, nihil causſæ in illo te inuenire; & nunc contra quam rectum esse nosti, illum morte condemnas. Nunc ipsum appellasti hominem iustum, & eadem hora damnas illum ad crucem. Paullò ante sciebas Iudæos per odium & inuidiam tibi Christum tradidisse, & iam crudelissimæ illorum voluntati tu eum committis.

Hei mihi. Si inimici Christi, adhuc repugnante iudice, neque in mortem ipsius consentiente, tantū furoris ostenderunt,

derunt, quid putamus futurum, cùm? Præside traditur voluntati eorum, vt eo quod velint faciant? O Fili æterni Patris, ô Agne manſuetiſſime, quæ ludibria qui cruciatus te manent? quo modo famelici iſti lupi inuolabũt in carnes tuas, & exſugent rabido ore innocentem ſanguinẽ tuum? Anima mea, anima mea, quantum malorum procrearunt peccata tua!

Conſidera, qua humilitate manſuetus Ieſus, abſque vlla contradictione funeſtam illam ſententiam exceperit: non aliter quam ſi omnium crîminum, quæ ſibi obiecta erant, manifeſtè compertus & conuictus eſſet. O innocentiſſime Domine, tu te reum facis pro me? Tu meo loco, tanquam non ego, ſed tu peccaſſes, ſoluiſti pœnas, quæ criminibus meis debebantur. O caritas inaudita! quis vnquam vidit regem tanto amore ſerui ſui captũ, vt ipſe ſe illius loco reum ſubſtitueret, & ad patibulum duci pateretur, tanquam ſuum nõ ſerui eſſet peccatum. O mea anima noli maioribus oneribus grauare Saluatorem & Deum per tua peccata. Omnia enim ſupplicia & cruces, tam animorum quàm corporum quæ omnes ſimul mortales ferre poſſunt, nihil ſunt præ ijs, quæ Domi-

num

nus tuus ad redimendum te sustinet.

Considera, simul vt lata est crudelis sententia, quomodo Satanici illi satellites, non sine violentia apprehendant mansuetum Iesum, & intro pertractum dum cuique suæ partes in supplicio exsequendo describuntur, non desinunt alapis, sputis, & omni genere iniuriarum fatigare. Volat fama, fit ex tota vrbe concursus ignaræ plebis, ad nouum illud, & miserandum spectaculum, adeo omnibus auidis, vt hora vna in annũ produci videretur, dum viderent prodeuntem, & baiulantem crucem. Iamq; diligentia & alacritate Pontificum prouisum erat, vt immanes illi claui, vnà cum alijs instrumentis feralibus parata essent: iam crux constituta erat prope portam, & præferebat sublime vexillum horribile signũ iustitiæ exsequendæ, quod Christi vitæ iam perniciem minabatur. Quàm acri dolore tum fixa stetit amantissima & mœstissima parens? quæ discipulorum tristitia, cùm tam crudeli morte damnatum aspicerent Magistrum suum? Contra quæ lætitia efferebãtur inimici eius, quod tandem aliquando inflammatum odium sanguine mansueti agni possent exstinguere. Iterũ vide, quàm grauiter dulcis

Iesus nefario inimicorum scelere sit offensus, & quàm ex animo indoluerit amicorum mœroribus, maximæ dilectæ Matris.

COLLOQVIVM.

PETES á Domino Iesu, vt, si ille verus iudex viuorum & mortuorum, per amorem accepit iniusti hominis iudicium, idemque innocentissimus cùm esset, tanta demissione sententiam excepit mortis, quæ tuo capiti debebatur: ne sinat te ingratum esse tanto beneficio. Deinde ne in nouissimo die, cùm veniet iudicare mundum, intret tecum in iudicium, nec meminerit iniquitatum tuarum antiquarum, sed ex misericordia tibi locum det sua sententia, inter electos: vt cũ illis possideas regnum, quod paratum est ipsis à constitutione mundi.

DOCVMENTA.

1. *IN rebus aduersis & tentationibus, subijcere nos patienter & humiliter debemus iudicio Dei, vt iniustum Pilatum Christus accipere iudicem non recusauit.*

2. *Cùm vel ex professione nostra, vel officio tenemur malum aliquod prohibere,*

non

non decet nos tergiuersari, ne opus sit cum Pilato manus lauare, sed defendere, quibus possumus modis honorem Dei & proximi.

3. *Pilatus optabat Christum dimittere, sed cũ bona gratia Iudæorum: itaq; semper illos audiens nõ constanter reijciebat. Inuitus itaq; venit ad condemnationem Christi. Sic nisi forti & constanti animo auersemur ea, quæ nos, à Deo & virtute abducunt: blanditijs sine dubio peccati iam corruptos habemus animos.*

4. *Pilatus, quod non præcisè ostenderet, planè se dimissurum Christum: occasionẽ Iudæis dedit sperandi bene de sua cupiditate, & vsq; eò vrgendi dum peruincerent: Sic, nisi in pugna tentationum, illud ratum & fixum [illegible] nullum peccatum admittere, nunquam cessabit infestare nos Dæmon, dũ prostrauerit: quia nos illi nostro tepore spem damus posse nos vinci.*

5. *Manus cũ Pilato lauamus, & simul condemnamus Christum cùm id quod religioni nobis ducimus, tamen perpetramus, etiam excusando, coactos nos, seu aliqua tentatione, seu timore humano.*

6. *Iniqua hominum de nobis iudicia exemplo Christi, cui seruimus moderatè ferenda sunt, ille enim iniquissimam à*

Pilato sententiam amore nostri patientissimè sustinuit.

7. Quàm sæpe, vt mundo aut carni gratum aliquid præstemus, aut propter honores, aliaq; bona temporalia, more Pilati iniustè aliquid agendo, Christum damnauimus?

MEDITATIO TRIGESIMASECVNDA.

DE CHRISTI FLAGELLATIONE.

EVANGELIVM.

Matt. 27. Marc. 15. Ioan. 19.

TUnc apprehẽdentes Iesum, postquam illuserunt ei, exuerunt eũ purpura, & induerunt eum vestimentis proprijs. Et eduxerunt eum vt crucifigerent. Et bajulans sibi crucem exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ locum.

FIGV.

FIGVRAE.

ISAAC *cum Patre ad montẽ proficiscens, in quo sacrificaretur, ligna sacrificij gestabat in humeris.* Gen. 22.

Praecepit Deus lege veteri, vt ad peccati expiationem sumeretur vitulus sine macula, qui extra castra elatus combureretur. Leuit. 4.

PROPHETIÆ.

DABO *clauem domus Dauid super humerum eius.* Isaiæ 22.

Factus est principatus super humerum eius. Isaiæ 9.

Sicut ouis ad occisionem ducitur, & tanquam agnus coram tondentibus se obmutescit. Isaiæ 53.

CONSIDERATIONES.

CONSIDERA, quomodo improbi illi ministri, postquam varijs modis illuserunt Christo, exuunt illum veste purpurea, & suis vestibus induunt. Vide, vt exutus purpura, nudus constiterit coram tam multis, qui risum, ex ipso captabant, & ad eum locum, quo flagellatus erat ambulans, colligat vestes, seq; non sine magno pudore ijs induat. Deinde imperiosè iubẽt, vt humeros liuidos prorsus, & tot verberationib. 1. Punctũ.

saucios, sub dura cruce incuruet, & collū supponat grauissimo oneri, vt idem ipse & ignominiam, & suppliciū suum ferret. Nō recusauit obediens Iesus onus acerbum, in quo erant peccata nostra omnia; sed tanquam exoptatum diuque desideratum amplexus est, vt & Patris obedientiæ & nostræ saluti satisfaceret.

Vidisses ibi verum Isaac ligna sua ferentem humeris ad sacrificij locum, & astantem Patrem cum igne & gladio vt ipsum sacrificet. Hæ erant virtutes illæ duæ, quæ tantam in pectore æterni Patris contentionē excitârunt: ignis amoris, qui humano generi postulabat ignosci, & iustitiæ gladius, qui pœnas omnino reposceret ab homine. Sed inuenit misericordissimus Deus mirabilem hanc rationem, vt Filius Dei pro nobis pœnas subiret & moreretur. Qua ratione & amori factum est satis, quando ipse absque vlla obligatione ex mera caritate sibi culpas nostras imposuit: & iustitiæ, quando suis pœnis vel abundè soluit, quicquid nos debebamus. Noli, anima mea, ingrata esse tanto amori, & si aliud non potes, adiunge te Saluatori tuo, qui crucem ferens inuitat etiam te, vt tollas crucem tuam & sequaris ipsum

Gen. 22.

Dulce

Dulce enim est post Christum portare crucem, & beati, qui eum sequuntur. *Qui enim Christum sequitur, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Ioan. 8.

Considera & compatere tuo benedicto Iesu. Vide vt incedat pressus graui illo onere, vt miserandum in modum sit toto corpore incuruus, & ad terram inclinatus sub immodico crucis pondere, in extremis angustijs animi, debilitatis & fractis viribus, trementibus genubus, facie cruenta, crudelem illam in capite coronam retinens. Sed ardentissimus amor & desiderium pro nobis satis faciendi, addebant illi vires, vt omnia pateretur etiam supra vires. E contra vide, quomodo à perditis illis festinetur ad mortem, bonum Iesum raptant, impellunt & immaniter pugnis, calcibus, verberibus, tanquam vile iumentum percutiunt: Ille verò, vt agnus mansuetus, crudelitatem & immanitatem omnem patienter sustinet.

O patientissime Iesu, noctem totam & bonam diei partem improbi isti carnifices, tot te pœnarum generibus exercuerunt: & nunc quasi laxamenti alicuius aut releuationis gratia, tam graue onus crucis humeris tuis imponūt. Tu verò etsi ita exhaustus, vt vix in pedes

consistas, tamen amore mei non recusas laborem hunc; neque reijcis onus, quod ab inimicis imperatur. O verè humilis humillimi Iesu obedientia! O pondus iniquitatum mearum intolerabile. Peccata mea, Domine mi, fabricauerunt super dorsum tuum machinam hanc, & sicut onus graue grauata sunt super te.

Psal. 128.
Psal. 37.

COLLOQVIVM.

PETE gratiam à Christo Domino, qua sicut ipse cum alacritate humeris suis ligna portauit, quibus ob tua peccata igne caritatis accensus sacrificaretur; tu item ipsius imitatione feras patienter, imò promptè & lubenter crucem rerum aduersarum, quæ in hac vita occurrunt, & laborum quæ in eius obsequio capessendi sunt, vt cùm fueris socius tribulationum, possis etiam esse socius cælestium consolationum.

DOCVMENTA.

1. *SI Christus Dominus noster portauit crucem, debemus & nos portare nostram, id erit si in tentationibus patientiam cõseruemus, lubenter amplectamur mortificationes quæ suis, & occurrentes in ipsius seruitio molestias, vt eò fru-*

miliores simus capiti nostro Christo, quem sequimur.

2. *Si serui Christi esse volumus, non fugienda, sed amplectenda nobis est crux & induenda. Crux enim est insigne quod Christus sibi militantium vestibus in hac vita vult esse affixum.*

3. *Cùm exiret Christus crucem gestans è domo Pilati ad montem Caluariæ, reliquit ibi vestes, quas illi Herodis & Pilati satellites imposuerant. Sic religiosi, cùm egrediuntur è mundo, vt crucem obedientiæ ferant ad montem perfectionis, relinquere debent vitiosos omnes habitus & consuetudines mundi; & induere se vestibus Christi, quæ sunt virtutes ipsius.*

4. *Pro Christo crucem portant ij soli, qui Christum sequuntur. Itaq; si quis aliud præter Christum persequitur, si qua crux illi ferenda obueniat, non Christo, sed suis eam cupiditatibus portat.*

5. *Suam crucem, quam à Patre acceperat, Christus tulit, sic nos debemus tollere crucem nostram, illam quam Deus imponit, non qua nobis videtur. Hoc est, ex ijs tentationibus & rebus, quæ nobis diuinitus obueniunt, profectum quærere debemus, non alias præferre & optare: quando ipse nouit: quod nobis vtilissimum sit.*

MEDITATIO TRIGESIMATERTIA.

QVOMODO DOMINVS noster mulieres sequentes, & lamentantes sit allocutus.

EVANGELIVM.

Luc. 23.

SEQVEBATVR autẽ Iesum turba multa populi & mulierum, quæ plangebant & lamentabantur eum. Conuersus autẽ ad illas Iesus dixit: Filiæ Hierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros. Quoniam, ecce, dies venient, in quibus dicent: Beatæ steriles & ventres qui non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus. Cadite super nos, & collibus operite nos.

nos. Quia si in viridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet? Ducebantur autem & alij duo nequam cum illo, vt interficerentur.

FIGVRA.

DAVID Rex fugiens Absalonem, ascendebat montem Oliueti, stãs discalceatus, aperto capite, sequebatur autem populus illum plangens. 2. Reg. 15.

PROPHETIA.

ET plangent eum planctu quasi super vnigenitum, & dolebunt super eum vt doleri solet in morte primogeniti. Zach. 12.

CONSIDERATIONES.

DVM benedictus Iesus ad mortem vadit, sequebantur eum multi, diuersis animis & affectionibus: alij accedebant ad cruciandum & neci tradendum, vt lictores & carnifices, qui impiè fessum raptabant. Alij vt Iudei inimici, vt illuderent ei, & ex mortis aspectu caperent voluptatem. Alij, vt nonnulli ex amicis, qui vnicè eum amabant, vt satisfacerent officio, misericordia & lacrymis indignam & innocentem necem prosecuturi. Ducebatur Saluator, vt ne 1. Punct.

quid ignominiæ extremæ deesset, inter duos latrones: atque vt his non modò sceleribus par, sed etiam superior videretur, soli Iesu, vt à nonnullis traditum est, crucem ferendam dederunt. Certè, mi Domine, quantum accedebat ad malitiam & crudelitatem inimicorum, tanto clarius eminebat tua humilitas & patientia.

In hac turba erant, mulieres quædam deuotæ, quæ à Galilæa illũ secutæ erant. Aderat imprimis dilecta illa Domino Magdalena, hæ sequebantur cum lacrymis & lamentationibus, adiungentes se socias afflictissimæ Matri, quæ cupida videndi Filij, quanquam dolore debilitata, amore tamen & desiderio vires addente, accedit propius. Vbi longius progressa, vestigia filij sanguine impressa videt; totidem planè in corde vulneribus afficiebatur, & dolor doloris accessu crescebat. Denique vbi locum attigit, stetitque vnde & conspicere posset, & à Filio conspici, sublatis oculis lacrymis & dolore obscuratis, prospectum filij captat. Similiter Filius, vt aliquid solatij, quantumuis acerbi præberet mærenti & languenti matri, attollit afflictũ & debilitatum caput. Ibi inter se aspiciũt duo soles ambo deficientes, & per ipsos

oculos

oculos amplexãtur inter se mæstissimi illorum animi.

Considera quàm triste & acerbum fuerit Virgini Matri, videre vnicum vitæ suæ solamen tam miserè derelictum, inter latrones, curuum sub onere graui crucis incedere, & inter clamores furentis populi, verberaq; ministrorum crudeliter ipsum trahentium, tam immaniter tractari. Ah mater sanctissima, quis gladius animam tuã pertransibat, cùm videres faciem pulcherrimam, quam sæpe olim magna cum deuotione solita eras aspicere, nunc tam fœdè esse deturpatam: & venerandum caput, quod magna cum reuerentia sæpe pectori tuo appresseras, horribili corona crudeliter confixum esse, item cùm videres tot iniurijs & probris affici Dominũ & Deũ tuum: denique suauissimum & carissimum filium tuum, quem tanto cum amore brachijs gestaueras, & ad pectus tuum dulciter admoueras, sanguine & sputis fœdatum, atque à toto populo contemtui & odio habitum? Planè, nisi diuina te bonitas conseruasset, diffilijsset sine dubio præ doloris acerbitate cor tuum.

Filius vicissim non iam occultũ habere poterat dolorem, quem ex dolore.

Matris

Matris capiebat. Erant igitur ambo præ doloris grauitate, qua alter alteri compatiebatur, quasi sine sensu & vita: & quando dolor linguam alligârat corde mater filio loquebatur. Dolor tuus & torménta tua affligunt vsque ad mortem animam meam. O propitiator gentis humanæ, quomodo solus vadis vt sacrificium fias pro omnibus? cur abest Petrus, qui animam se positurum prote promiserat? quomodo reliquit te Thomas, qui dicebat: *Eamus & nos, & moriamur cum illo.* omnes te dereliquerunt, & tu solus ad mortem duceris. Fili mi, Deus meus, quis mihi det, vt moriar tecum, vt crux quæ plurimis datura est vitã, simul etiam matri cum filio afferat mortem.

Ioan. 13.

Ioan. 11.

Reliquis mulieribus fletum & lamenta sua prosequentibus, suauis Dominus, qui amicos suos nouit & lubens aspicit, relicta omnia alia turba, conuersis oculis & facie ad eas, quæ sui amore flebant, iubet, vt super ipsum non flerent, sed super se & super filios suos. O Iesu benedicte, si tu in omnes misericordia moueris, &, vt scriptum, sæpe illachrymasti malis alienis, præcipuè ijs, quę ingratæ illi ciuitati obuentura erant: cur te dum innocens ad mortem vadis, non vis

vis defleri, neque quemquam doloribus tuis compati? Magna est profectò caritas tua, & planè paterna: quoniam mori indulgentissimi patris, qui secum vna videt filios pati, plus illorum, quàm suis pœnis affligitur, & mauult illis, quàm sibi quemquam compati, sicut tu non reprehēdis pium sanctarum mulierum affectum: sed quia propter amorē, magis te pungit ingrati populi scelus, qui te interfecit, quàm tui ipsius dolores: idcirco vis magis etiam defleri ruinam, quæ tantū crimen insecutura est, quàm tua supplicia & innocentem mortem.

COLLOQVIVM.

CONVERTE te ad B. Virginē, & illam roga per intimum filium dolorem, qui cor eius penetrauit, cùm filium tam miserabili specie videret, vt te participem faciat sui doloris, vt sic cognoscens, quàm grauium malorū caussa fuerint tua peccata, digne ea defleas, simul impetret tibi gratiam, qua in posterum expiata per pœnitentiam culpa, possis vitæ & morum emendatione filium ipsius recreare, ipsi gaudium, animæ verò tuæ certā spem salutis afferre.

DOCVMEMTA.

1. QVI *religiosum institutum amplexi,*

exi, recusant pati, appetitus frangere, aut labores instituti sui subire; profitẽtur quidem se cum turba Christũ sequi, sed crucem cum Christo non ferunt.

2. Non dolendum, sed gaudendum potius si eò quod seruiamus Christo apud homines in praua simus existimatio, & inique odioſiq; iudicemur, neque enim pro nobis recusauit Christus duci inter latrones.

3. Mulieribus Christum, non se deflentibus, similes sunt, qui suorum defectuum immemores & incurioſi, alienos notant & accusant. Medeamur primùm nostris morbis; tum deinde, sine reprahensione miserebimur aliorum.

4. Si Filius Dei, cùm esset lignum viride, innocens, fructuosum: itemq; homines iusti & sancti, ita in hac vita aduſti sint ignibus rerum aduersarum: quid fiet aridis lignis, & quantum putamus ardebunt in inferno peccatores.

5. Si is, qui venit in mundum sine peccato, non egressus est sine flagello, nobis qui cum peccato ingressi, in peccato viuimus, cogitandum est, non posse nos sine flagellis & moleſtijs vitam peragere.

6. Nolebat Dominus se fleri à mulieribus, sed populũ à quo ducebatur ad mortem, vt ostenderet, non tam de illius paſ-

sione

sime dolendum, quàm flendum & plangendum de peccatis nostris, quæ mortis illi fuerunt caussa.

7. Monebat Christus mulieres sui amantes, ruinas flere populo illi imminentes, indicans amatores Christi dolorem debere concipere ex proximorum seu temporalibus, seu spiritualibus damnis.

MEDITATIO VIGESIMAQVARTA.

QVOMODO SIMON CHRISTVM in portanda cruce adiuuerit.

EVANGELIVM.

ET cùm ducerent eũ, apprehenderunt Simonem quendã Cyrenensem, venientem de villa. Hunc angariauerunt, vt tolleret crucem eius, & imposuerunt vt tolleret crucem portare post Iesum. *Matt. 27. Marc. 15. Luc. 23.*

PRO-

PROPHETIA.

Ierm. 20. EGO *quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam.*

CONSIDERATIONES.

1. Punctū. CONSIDERA primò, Christo Hierosolymam exeunte, lamentabile illud vaticinium tum in eam conueniſſe. *Egressus est à filia Sion omnis decor eius.* Itaque meritò Propheta deflens tantæ vrbis casum lamentatur. *Quomodo sedet sola ciuitas plena populo?* Sola, quia destituta est illius præsentia qui solus potest ciuitatem custodire, & defendere, *Facta est quasi vidua domina gentium*, diceſſit enim ab ea verus & legitimus sponsus eius. *Princeps prouinciarum facta est sub tributo*, cùm vicelicet rebellis legitimo Regi & Domino, sub tributum & seruitutem inimicorum redacta est. Misera Hierusalem, quomodo obscurata es, cùm discederet à te verus ille Sol, qui cæcis tuis lumen reddit, vita illa, quę mortuis reddit vitam, salus illa, quæ omnes ægros tuos curabat. Ecce cæleſtem lucernam, à te repudiatam, positam hìc in monte, super candelabrum, Crucis, vt omnes gentes, templa in cæcitate permanente, illuminet.

Considera mansueti Iesu egressum, & speciem

& speciem miserabilem, cinctus est lictoribus, quorum præeuntes alij, funem illum protrahunt: alij insequentes, verberibus & impulsibus ad festinandum iter vrgebant. Fit Populi concursatio, virorum fœminarumq́, cū magno plausu & clamore, vt innocentem agnū videant ad sacrificium deportari. Repetebantur de nouo conuitia, contumeliæ, risus, quidam instar vrsorū aut leonum ferocium penetrant se quàm penitissimè in turbas, vt propriores mansueto aliquid vexationis possent afferre, alij illum luto, alij sannis petunt. Ecce, inquiunt, venit rex noster. Ecce iam affectatum diadema capite gestas. En sceptrum regium tuis meritis aptum, stipes supplicij tui, quem humeris gestas. Progenies viperarū, hinc amplexus, hic honor quibus desideratum vobis Saluatorem excipitis? eum ipsum quē superioribus diebus tantis laudibus & triumpho prosecuti estis? Iamne omnem illum honorem & gloriam in ignominiam & dedecus conuertitis? Quis non doleat, Iesu dulcissime, tanta tua injuria & contemtu, imò cui non cor dissumpatur dolore peccatorum suorum, quæ tantis tuis doloribꝰ & ignominiæ caussam præbuerunt.

Con-

Cõsidera, quomodo incesserit Christus lento gradu, suspirabundus, debilis, non rarò sub crucis graui onere in terrã cadens, at improbi illi vt, gentes progressum, neque vllum respirandi momentum concedentes, non vnam, sed multas illi mortes afferebant. Ad extremum cùm iam inter ipsorum manus viribus deficeretur, neque iam, quantumuis vndique protractus & protrusus, progredi porrò valeret, metuebant homines impij ne prius moreretur, & minus crudeli morte quàm qua ipsi eum mori destinarânt. Fecerunt ergo vt Simon Cyrenæus subleuaret illum in cruce ferenda: exprobrantes Saluatori, quòd cùm se Filium Dei & omnipotentem iactaret, sine hominum adiumento tantum oneris ferre non posset.

Iesu amantissime, crucem tuam non deponis, quod iam pigeat illam ferre; sed vt eam in Cyrenæi persona nobis omnibus tradas, vt fructuum ipsius dulcissimorũ omnes participes simus. Voluisti & Cyrenæo homini ethnico eam tradere, vt quoniam indigni erant Iudæi, gloria crucis transiret ad gentes. Sed cur non & ego tum aderam? cur non dignus sum habitus tanto beneficio, vt te in cruce ferenda subleuarem? Forsan

& ego

& ego oculis acerbitatē tuorum supplicio-rū videns, sensissem aliquid doloris: forsan & cum sanctissima matre alijsque amicis aliquid lacrymarū profudissem. Quàm bene mecum esse actū, si vna tecū prope crucē exspirassem! quàm dulcis & iucunda mors cum Domino suo mori! Fortè vt cum latrone egisti, sic & mihi veniam aliquam dedisses.

COLLOQVIVM.

ROGA Christum D.N. quonam ipse te & exemplo suo, & crebris sanctisque monitionibus, exstimulat ad ferendam post se crucem: quam in persona quoq; Cyrenęi humeris tuis imposuit: vberi te gratia donet, qua prorsus à temetipso ex ipsius amore descisces, spōte festines ad viam difficilem & angustā sanctæ Crucis: sicut ipse eam pro te amplexus est: vtq; amorem suum ita cordi tuo imprimat, vt in posterum nihil desideres, nihil cogites, nihil velis nisi Iesum pro te crucifixum.

DOCVMENTA.

1. *CRucem coacti & sine fructū cum Cyrenæo portant, quos non amor, sed timor cogit bene agere: religiosi item, qui Superiorū manda exsequūtur inuiti.*

2. In

2. *In portanda cruce, id est, seruitio Christi laborandum est, quantum possumus: sperandumq; fore, vt deficientibus Deus submittat auxilia, vt Christũ adiuuit Cyrenæus.*

3. *Si quando lassitudo & quasi tædium accidat nobis in obsequio Dei, recordemur laboris & lassitudinis Christi in portãda pro nobis cruce ad montem Caluariæ.*

4. *Crucem Christi accipiunt, qui sicut Cyrenæus, veniũt de villa, id est, qui mũdum, eiusq; actiones deserunt, & Hierosolymam proficiscuntur, ambulantes ad patriam cælestem.*

5. *Prius crucem portauit Christus ipse, quam Cyrenæo daret: si qui alij præsunt, seu potestate seu doctrina, primùm ipse crucẽ gestare debent, nempe vt prius discant subesse, & perturbationibus repugnare: deinde eandem dare ferendam subditis.*

6. *Crux Christi non ad exemplum Simonis huius, sed ad præscriptum illud ipsius Christi ferenda est:* Qui vult venire post me, tollat crucem suam quotidie, & sequatur me. *Primò vltrò & libenter, non coactè suscipienda, dicit enim:* Qui vult. *Deinde sua quisq; ferenda est, non aliorum: quod indicant illa,* Crucẽ suam. *Tertiò addit,* & sequatur me, *quia ad*

Matth. 16. Marc. 8. Luc. 9.

Dei

Dei gloriam, non ad laudem humanam referri debet. Denique continuò & vsque ad finem vitæ perferēdæ est, additur enim. Quotidie.

MEDITATIO TRIGESIMAQVINTA.

QVOMODO CHRISTO VINUM felle mixtum pro potione datum sit.

EVANGELIVM.

ET venerunt in locum, qui dicitur Golgotha, quod est Caluariæ locus. Et dederunt ei bibere vinum myrrhatū cum felle mistum; & cùm gustasset, noluit bibere. *Matth. 27. Marc. 15.*

PROPHETIÆ.

DEDERVNT in escam meam Fel. *Recordare paupertatis meæ, absynthij & fellis.* *Psal 68. Thren. 3.*

CONSIDERATIONES.

1. Punctū. CVM Christus iam exhaſtis viribus, ad funeſtum illum montem peruenisſet, homines immites, quod tot raptationib⁹ iam animo pęne linqui viderent Saluatorem, capta illudendi occaſione, dant illi bibere vinū felle mixtum, vt animi ſui felleam prorſus acerbitatem in eum oſtenderent, qui nō paterentur vllum eſſe membrum, quod non proprio & ſuo afficeretur dolore. At dulciſſimus Ieſus, quamuis non ignoraret, quis potus ſibi præberetur, tamen vt ſuas augeret pænas, guſtauit. Nunquam enim recuſauit, potius flagranti deſiderio appetijt quaſuis occaſiones ſuſcipiendi moleſtias corporis, animiq́ue, vt obedientiæ Patris perfectius ſatisfaceret, & copioſior eſſet noſtra redemtio. Itaque voluit pati per membra omnia, vt hominem ſanaret omnibus membris infirmum, & ſicut Adam illectus ſuauitate fructus prohibiti, in peccatum cecidit, ſicipſe amara hac potione culpam illius purgaret.

In more eſt, vt condemnatis dum ad ſuppliciū eunt, aliquid ferè humanitatis & beneuolentiæ oſtendatur, ſolando, excitando vt forti ſint animo: aut præbendo cibi quid delicatioris, & præſtantioris

tioris vini, vt confirmentur aliquantulum & recreentur. At tui, ô benedicte Iesu, nulla vsquā misericordia, non est qui consoletur, nō est qui humanitatis minimum signū præ se ferat. Consolatores tui erant, hinc impij lictores, qui nō cessabant probris te, maledictis, iniurijs afficere: inde superbi Pontifices, & perfidi Iudæi, qui tuis malis elati gaudio, tota via spatiabantur, & scurrilibus in te iocis & irrisionibus se oblectabant. Ad extremum pro præstanti vino, & delicatiore cibo, quæ post tam difficile iter parata tibi erant, datur potio amara, felle mista & myrrha. Heu quam acerbam consolationem, & qualem tibi corporis refectionem extremis temporibus tuis, Domine mi, præbuerunt peccata mea.

O pijssima & desertissima mater, quid doloris & amaritudinis penetrauit animum tuum, cùm videres, diuinum illud os, quod ex tuo pectore dulcissimū lac suxerat, tantam fellis amaritudinem experiri, quanto amore, si licuisset, iuisses quæsitum aquam, aut ipsa in aquas liquefacta esses, qua sitiēs os madefacteres & recreares, vt aliquid saltēleuationis carissimo & suauissimo filio afferres. ô anima mea, cur prę cōpassione cor tuū nō rūpitur? cur non fontes lacrymarum ex

oculis profundis, vt vel hoc si aliter non potes, Domino ac Deo tuo aliquid desiti minuas: cùm tot vndiq; prę maturanguſtijs.

Vide quid nobis Dominus, quid nos illi viciſſim faciamus: ille vt loquitur
Pſal. 80. Propheta, *Cibauit populum ſuum ex adipe frumenti, & de petra melle ſaturauit eos.* Nos contra pro pane myrrham acerbam & iniucundam dedimus, pro melle fel amariſſimum. O Dei bonitas ineffabilis, ô hominũ extrema malitia. Verè Domine mi cum in hunc mundum venires, inueniſti eum redundãtem vino
Gene. 6. corrupto & acido. Nam, vt ſcriptum eſt,
Pſal. 13. non erat qui faceret bonũ, non erat vſq;
Deut. 32. ad vnum. Vuę noſtrę erant vuæ fellis, &
vinum noſtrum fel draconum, & venenum aſpidum inſanabile. Sed tu More
Exod. 15. Moyſis manſueti, ligno ſanctæ crucis,
4. Reg. 4. dulces aquas noſtras reddidiſti, & quaſi alter Eliſæus farina qua aſperſus fuit pa-
Ioan. 6. nis ille viuus, qui de cælo deſcendit, abſtuliſti à nobis omnem amaritudinem mortis. Sed heu mihi, à tua gratia ſanati, reuertimur denuò ad miſcendum fel & myrrhã, actionibus in tuum obſequiũ ſpectãtibus: dum enim imperfectè & negligenter agendo, minus iucundas & gratas exhibemus guſtui Maieſtatis tuæ.

COL-

COLLOQVIVM.

ROGABIS Christum D.N. vt quē admodū ipſe, cùm illi data eſt protanda crux, accepit & tulit, dum in ea ſpiritum redderet: at cùm præberetur vinum felle mixtum, poſtquam guſtauit, noluit bibere: Sic te dignetur illuminare gratia ſua, vt cognoſcens immēſitatem bonorum in cruce tribulationum latentium: contra acerbitates, quas inani ſpecie tegit mundi voluptas, hanc repudies & refugias, res duras magno amore amplectaris, vt cum Chriſto in cruce mortuus, eius fructibus dulciſſimis in ipſius gloria gaudeas.

DOCVMEMTA.

1. *CHRISTO bibere damus vinum myrrha infectum, cùm qua propter ipſum ſolum agenda erant, in ijs admiſcemus humanum quendam reſpectū, aut imperfectionem, ob quā opera illi noſtra minus placeant.*

2. *Fel ori Saluatoris inferūt vino mixtum, qui ſpecie veritatis ſpargunt falſa dogmata, quiq; aut ſermonis, aut factorum aſperitate offendunt atque exacuūt adiram proximos.*

3. *Chriſto vinum intelligentia myrrha*

mixtum dant, qui alienis cogitationibus inter precandum dant locum. Itemq; memoriam felle mistam offerunt, qui obliti beneficiorum, quæ à diuina Maiestate acceperunt; iniuriarũ, quas acceperũt à proximis, meminerunt. Illi verò voluntatem amarore infectam Christo præbent, qui affirmantes se illum amare, in corde tamen aliquam sensus cupiditatẽ, aut creaturæ cuiusque amorem residere patiuntur.

4. *Si quando post angustias tribulationum & tentationum non ea consolatione & gaudio fruimur quod optamus, non dolendum est, sed cogitandum etiam Christo postquam in ferenda cruce exhaustus esset, pro modica refrigeratione datum esse fel bibendum.*

5. *Saluator porrectum sibi vinum felle mistum, gustauit quidem, sed perceptofelle noluit bibere: sic & nobis nõ omnia, quæ speciem habent boni, continuò amplectenda sunt; sed ad libram rationis examinãda: quod si quid inuenitur intentione felis humani aut peruersi finis, repudiandum: idq; consilio Apostoli,* Omnia probate, quod bonum est, tenete.

6. *Non conquerendum est de cibo aut potione, si minus sapidis & delicatis vtamur, quàm gustatui placeat: quauis re*

potius

potius contenti simus, memores fellis & aceti, quæ Christo Domino pro cibo & potu data sunt.

MEDITATIO TRIGESIMASEXTA.

DE CRVCIFIXIONE Christi.

EVANGELIVM.

ET ibi crucifixerunt eum. *Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 19.*

FIGVRAE.

ABRAHAM *colligauit ligna Isaac in fasciculum, & super ipsa filium imposuit.* *Gen. 22.*

Iussit Dominus Moysen facere serpentem aneum, eumq; pro signo erigere, in quem, si quis respiceret de vulneratus serpentũ morsu, vitam seruaret. *Num. 21.*

Præcepit Dominus filijs Israel, vt primo mense sumerent agnum sine macula, quem die decimoquarto eiusdem mensis ad vesperam, immolaret omnis multitudo filiorum Israel. *Exod. 12.*

PROPHETIÆ.

Psal. 21. FODERVNT *manus meas, & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea.*

Zach. 13. *Quæ sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? & dicet bis plagatus sum in domo eorum qui diligebant me.*

Psal. 88. *Minorasti dies temporis eius, perfudisti eum confusione.*

CONSIDERATIONES.

1. Punctū. VIDE quomodo crudeles illi carnifices, manus in Christum iniiciūt, & magno cum impetu & inhumanitate vestibus detractis, nudum constituunt. Cogita quanta cum mansuetudine patiatur spoliari se mansuetissimus Iesus, imò etiā ipse lictoribus adiumento sit, ex desiderio quàm primùm decumbendi in exoptatissimo illo lecto. Quia verò vestes toto corpore ad vulnera adhæserant, dum impij illi eas impetu quodam detrahunt, sequebatur videlicet cutis etiā vestes ipsas, vt sic cum acerbo dolore vulnera omnium plagarum renouarentur. Itaq; cùm esset quasi totus decorticatus, & totus factus vulnus vnum cepit vndique regius illi sanguis prorumpere, & ex omnibus membris.

bris ad terram vsque defluere. Interim mansuetissimus agnus non modò cum patientia perferebat, sed magno etiam cum desiderio terribilem hunc cruciatum. O quàm grauiter afficiebatur dulcissimum cor eius, cùm videret capitale illud odium Iudęorū, & sitim illam sanguinis, quomodo properarent in cruce aptanda, instantes carnificibus porrigētes illis clauos vrgentes, vt quàm primū absoluerent, quasi crux illis esset; videre illum coram adstare adhuc viuum.

Considera quis pudor & confusio fuerit pudicissimo Domino, nudū stare in oculis tantæ multitudinis. Atq; interim dū humilis Iesus vento & frigori expositus, corpore toto tremens expectat dum crux parata sit, cogita, quas iniurias, scurriles iocos, & probra sit passus, quot conuitijs & maledictis appetitus sit. Hei mihi quas tum cogitationes illum misero corde putamus versasse, cùm hinc pudore tanto afficeretur, inde aspiceret parari, sibi tam angustum & asperum lectum mortis? O mater desolata, quo dolore hoc miserandum spectaculum videbas? non ad ipsas medullas penetrabat dolor, cùm videres dilectum Filium tuum stare tanta cum ignominia nudum, & contremiscentem

in oculis tam impudici & impuri populi? Quare sunt qui dicant, tantum fuisse amoris impetũ, vt propelleret ad ipsum Filium amantissimam Matrem: ipsamq; sublato capitis velo cinxisse & operuisse nuditatem Filij, cumque se tenere non posset, cum magno dolore amplexatam esse; sed mox ereptum ei de manibus Filium.

Præparata iam cruce, confestim carnifices cum furore apprehensum mansuetum Iesum, in eam resupinum deijciunt: ipse verò vltro brachia & manus clauis figendas exporrigit. Licet hîc cogitare conuulsionem & mortiferos doloris aculeos, qui inde oriebantur quòd crassis & crudelibus clauis pertunderentur partes tenerrimi corporis, quæ maxime sensu vigent, & sacra membra ossaq; , tanta vi in cruce ab impijs illis manibus distraherẽtur, & miserum in modum diuellerentur. Vide autem, dum illorum crudelitas & immane odium nihil aliud laborat, quàm quomodo acerbo supplicio mãsuetissimum Iesum excrucient: ipse totus ipsorum amore ardens, omnes illos dolores & sanguinem pro peccatis illorum, proque animarum salute Patri æterno offerebat. O incomprehensibilis caritas, ô amor fortissimus

Saluatoris

Saluatoris nostri, qui nullis iniurijs & probris, non tot cruciatibus, ne morte quidem ipsa minui aut vinci potuit.

Considera extremos angores, & tormenta, quæ pijssima Mater sensit, cùm viderat quomodo tam indignè ludificaretur Filius, audiret horribiles carnificum voces, & crudeles malleorum ictus, quibus infigebantur claui: cogita singulos ictus ipsi ad cor vsque penetrasse, & eo modo ex magnitudine doloris in animo eius imaginem impressisse crucifixi Filij, vt vna cum illo pateretur, cum illo cruci affigeretur.

Vide vt deniq; impij illi cum magnis clamoribus crucem erigentes in altum, vt maior esset crudelitas, in scrobē, qui eo fine effossus erat, cum impetu decidere sinant. Quo lapsu cùm concuteretur grauiter, non sine intollerabili artuum cōuulsione, sacrum illud corpus, diductę sunt plagę, cœperūtq; quatuor illa sacra vulnera, quasi fontes quatuor largiter in terram sanguinem fundere. Hæc sunt quatuor flumina Paradisi, quæ ex horto deliciarum egressa, irrigant vniuersam terram. Omnes sitientes venite ad has suauissimas aquas, haurite in lætitia de fontibus Saluatoris. Venite emite sine argento, & absque *Zach. 12.*

vllo precio vinum & lac: fugite mel de petra, & oleum de saxo durissimo. Hæc enim est petra illa firma & stabilis, quã Pater noster Iacob erexit in signum gratiæ, & clementiæ, in titulum pacis, vngens oleo misericordiæ.

Deut. 32.

Gen. 35.

ALTERA PARS.

CONTEMPLARE anima mea Dominum & creatorẽ tuum affixum lingno sine vlla re, quæ illum sustentet, præter clauos tres, à quibus, cum extremo suo dolore, sine vllo laxamento miserabiliter dependet. Si quando vt mitiget vulnerum in pedibus dolorem, brachijs se velit sustentare, manus totæ dilacerantur: se manibus vult succurrere, pedibus innitens, heu mihi qnanto cum spasmo amplificantur & exasperãtur vulnera. Non possunt igitur membra æque affecta summo dolore inter se adiuuare, nisi sibi eam pœnam alterum assumat, quam alteri detrahit. Non est qui adiuuet. Non est qui consoletur eius lacrymas: non qui sudorem abstergat. Omnes amici & noti à longè sunt: inimici, & qui eum cruciant, circũstant, gaudium & exultationem capientes ex eius supplicijs. Hoc modo Iesus afflictissimus lenta morte cõsummẽdus, protẽ-

protendebat vitam dolore plenam, non viuendi, sed plura patiendi desiderio.

O bone Iesu, quomodo te extensum aspicio in hac cruce, in illo acerbo & pœnali lecto confixum, & in extremas redactum angustias, vt nullum corporis membrum, excepto sacro capite mouere posses, atque illud ipsum spinis vndique confixum & horridum, non valens inter matris brachia requiescere, inter duræ crucis brachia quietem inquirit: eumque nec ibi inueniat, miserabiliter pendet pronum in terram. Hei mihi Domine, quàm in illo tempore pauper eras & desolatus quando in illa hora magnitudo cæli & amplitudo terræ tibi defuit, vt in toto mundo non haberes, quo fessum & exhaustum caput reponeres. Quare autem Domine crucem tibi fecisti tam angustam, vt vix tibi vnus locus in ea esset, cælũ autem tam laxum & amplum? Sanè Domine nõ aliâ causâ, quam quod solus velles pati pro nobis vt nos tecum vniuersi gauderemus; parcus & auarus fuisti in pœnis, largus in gratia & beneficijs.

Quid commisisti dulcissime Iesu, quæ fuit culpa tua, vt tam acerbè tractari mereris? quod malum commiserant hæc membra sanctissima, vt tanta inhuma-

nitate lacerentur, & affigantur ad Crucem? Nihil certè tu peccasti, neque admisisti nisi quod me nimium amaueris. Ego solus doloris tui causſa, peccatum quod seruus admisit, persoluit Dominus. O dilecte fili Dei, vsq; quò descendit humilitas tua? quantum potuit caritas tua? Me concupiscentia pertraxit ad peccatum, te caritas tua deduxit vsque ad Crucem. Manus meæ per inobedientiam arborē vetitam apprehenderunt: tuæ per obedientiam in cruce clauis laceratæ sunt. Ego dulcedinem pomi, tu amaritudinem fellis gustasti. O amantissime IESV, video te quidem nudum & frigidum pendere de cruce, sed video contra etiam te totum circumuestitum & inflammatum amore. Video te à vertice ad pedes, à siniſtra ad dextram, intus foris q; plenum doloribus & pœnis: sed aquæ omnium suppliciorum non potuerunt exstinguere ardentissimam caritatem tuam.

Contemplare in cruce hac, anima mea, Saluatorem tuum & Deum tuum, qui cum tui amore tibi similis factus esset, vestemq; mundissimam naturę tuæ humanæ induisset, recit ex ea pannū, vt vides, quo vulnera tua abstergeret, & receptis in se sordibus, & fœditate peccatorum

torum tuorum, ſtat in duro illo torcu-
lari, inſtar hominis vuas calcantis, totus
ſordidus & deformis. Vide dilectum
ſponſum tuum, qui cupidus videndi
tui, præ magnitudine amoris conten-
tus non eſt, per quinque ſolum amplas *Cant. 1.*
illas feneſtras vulnerum proſpicere, ſed
quaſi cancellis, ita vulneribus infinitis
corpus aperuit, vt & te melius videat, &
à te, ipſe vſque ad cor ipſum adſpici poſ-
ſit. Vide bonum Paſtorem tuum, qui *Luc. 15.*
digreſſus à collibus æternis, & ad quæ-
rendum te ingreſſus in horrido hoc de-
ſerto, totus, vt vides, ſpinis & rabido-
rum luporum morſibus laceratus eſt.
Vide deniq; Agnum innocentem occi-
ſum pro peccatis tuis à conſtitutione
mundi. Vide vt totus euiſceratus in cru-
ce, ſuo ſanguine conſperſus, & aſſus ſui
amoris igne. Vide vt truſus & laceratus
impijs manibus nō aperiat os ſuum, nec
verbū proferat contra eos, à quibus tam
crudeliter tractatur; Defige aſpectum in
illa vulnera, & mortiferas plagas, & co-
gita an ſit dolor ſimilis dolori ipſius.

Conſidera deniq; anima mea, ſponſum tuū in duro crucis lecto decumben-
tem, vide illū clauis affixum, vt te exſpe-
ctet: expandentem brachia, vt te amplec-
tatur: inclinato capite pendentem, vt te

oſculo

oſculo pacis & amoris accipiat: ſanguinem ſuum precioſum fundentem, vt ex eo tibi ſalutiferam potionem ac medicinam conficiat. Audi quàm amicis te vocibus inuitet: *Veni ſoror mea, ſponſa mea, columba mea, veni ad foramina petræ*, ad dulces rimas vulnerũ meorum. *Iam hyems tranſijt* meæ paſſionis: lectus noſter paratus eſt totus floridus, & ornatus rubente ſanguine meo. Et nunc anima mea noli reijcere inuitationem ſponſi tui: ſed amore aſcende lectum hunc Sanctæ Crucis, erige te ad ipſum, & humiliter illum amplexare, & cũ deuotione & reuerentia cordi tuo illum admoue, dicens cum ſponſa. *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.*

Can. 2.

Cant. 1.

COLLOQVIVM.

ROGABIS Chriſtum D. N. per amorem illum intimum, quo voluit tanquam agnus innocens tam crudeliter affigi & lacerari in ligno crucis, idque tui amore: vt & ipſe te ſecum patiatur affigi clauis caritatis, ſic planè, vt ipſius amore perfectè crucifixus mundo, & tibi ipſi, nihil velis, nihil ſcias, nihil deſideres, niſi Chriſtum crucifixum optans eius exemplo in hac vita contemni, deprimi,

primi, & affligi: vt in altera merearis venire cum ipso in partem gloriæ resurrectionis eius.

DOCVMENTA.

1. PRORSVS *exuendus est homo vetus cũ operibus suis, vt omni amore proprio nudi, nudum sequamur Christum.*

2. *Si adspiciamus rarum hoc paupertatis exemplum, quod Saluator nobis præbuit, moriens nudus in trunco arboris, pudebit nos murmurare, aut conqueri, cùm quid in nobis deest, aut vestibus minus bonis aut delicatis vtimur.*

3. *Qui consecrati sunt seruituti Christi, crucifigere debent carnem cum vitijs & concupiscentijs, affigentes semetipsos ex amore Iesu, clauis votorum in cruce obedientiæ; vt Christus nostri amore cruci affixus est.*

4. *Christus, nostri amore omnia membra super crucem extendit: sic nobis omnes partes corporis, & animæ vires, in eius obsequium impendendæ sunt, manus in auxilium proximorum, pedes in exercendis sanctis actionibus, lingua in laudem & benedictionem Dei, mens in pias preces & meditationes, cor in amorẽ ipsius.*

5. *Clauis manus Christo configunt, qui benefi-*

beneficiorum eius obliuiſcuntur, aut ſuperbiunt gratia & donis acceptis, aut de ſuis operibus inaniter gloriantur.

6. Pedes item configunt, qui pigrè ſe mouent ad pietatis & caritatis officia; promti aliàs & celeres ad ſuas recreationes, & res curioſas.

7. Voluit pro nobis Chriſtus ſublimis à terra exaltari, vt auellamus mentem & deſideria noſtra à rebus terrenis, & erigamus in cœlum: vt ibi ſit totus amor & conuerſatio noſtra, vbi eſt theſaurus noſter.

8. Si conſideremus grauiſſimos dolores, quos pro nobis in cruce pertulit Chriſtus, omnis labor videbitur facilis, & omne onus leue, omnis aduerſitas iucunda, quæ in ipſius ſeruitio ſe offerent.

9. Pudeat nos cùm conſideramus, quomodo Chriſtus glorioſam Natiuitatem abſconderit, angustijs & paupertate ſtabuli, nocturnis tenebris, arbitrio muti animantibus. At Crucis ignominiam publicam fecit in vrbe regia, die celeberrimo Paſchæ, coram vniuerſis Iudaicæ nationis populis. Et nos vermiculi adhuc tam anxiè defectus abſcondimus, virtutes oſtentamus.

* * *

MEDI-

MEDITATIO TRIGESIMASEPTIMA.

DE DVOBVS LATRONIBVS CVM CHRISTO CRVCIFIXIS.

EVANGELIVM.

ET cum ipso crucifixerunt duos latrones, vnum à dextris, & alium à finistris. Mediũ autem Iesum. *Matt. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 19.*

FIGVRA.

IOSEPH *Patriarcha inter duos malefactores in carcerem est coniectus.* *Gen. 39.*

PROPHETIÆ.

ET *cum sceleratis deputatus est.* *Isaiæ 53.*

Abiectionem posuisti me in medio populi tui. *Ierm. 3.*

CON-

CONSIDERATIONES.

2. Punctũ. VT magis Saluatoris creſceret infamia, inter latrones crucifixus eſt, quaſi ſimilium ſcelerum compertus. Medius autẽ pendet, tanquam dux & Princeps latronum. Vbi animaduerte, nihil quod pudorem & infamiam apud homines afferat, Chriſto abfuiſſe, omnes enim ille modos in ſe experiri voluit. Primum, mortis genus voluit eſſe tam ſeruile & infame, vt nullum tunc fuerit magis. Paſſus eſt in ciuitate principe totius Iudææ, quam ſex diebus antè lætiſſimo triumpho inuectus erat. Paſſus eſt die ſolemni Paſchæ, quo vniuerſa Iudæorum natio Hieroſolymam confluebat. Crucifixus ipſo diei meridie, vt omnes adeſſent. Sublatus in ſublimi Crucis ſtipite, vt omnium oculis eſſet expoſitus, collocatus medius duorum latronum, vt videretur ſceleratiſſimus omnium iudicatus, paſſus eſt loco publicè ſupplicijs deſtinato, vt ab omnibus pro improbo haberetur. Denique paſſus loco eminenti, in monte, vt toti mundo ſpectaculum eſſet.

Heu execrandam Iudæorum improbitatem! Crucifigunt vt latronem Redemtorem mundi, at ille caritate impulſus

pulsus inter peccatores crucifigi vult, vt se pro peccatoribus supplicia & mortem ferre ostenderet. Deinde à diuina sapientia constitutum erat, vt Christus inter duos latrones esset, vt præsignificaret hoc facto iudicium vniuersale, quo Christus venturus est iudicare mundũ. Collocatus igitur erat Christus in cruce, tanquam Rex in sede regia & collocatus latronum medius; quia humana natura, de qua iudicium laturus erat, propter primi parentis furtum, rea erat latrocinij. Melior latro qui ad dextram repræsentabat electos, peior, qui ad sinistram, reprobos, qui in sua obstinatione durantes, ex regula diuinæ iustitiæ damnandi essent.

Considera eum, qui in cælo medius est inter Personas Diuinas; eum in Caluariæ monte, te medium videre inter duos latrones, quem in cælo adorant & venerantur Angelicæ mentes, eum à mortalibus haberi & pœnis latronum affici, qui in monte Tabor cũ immenso splendore & gloria, inter duos sanctissimos Prophetas apparuit, eum iam vides in monte Caluariæ vulneribus & ignominijs summi affectũ inter duos sceleratos homines. Video Domine, video, te hoc agere, vt in terris, ex Prophe- *Matt. 17.*

tæ

tæ oraculo, cùm sceleratis reputeris, vt nos in cælum sublatos inter choros Angelorum colloces. Tu sanè es homo ille, quem amor noster coegit exire, ex illa cælesti Hierusalem, vt in hanc instabilem Iericho sæculi nostri descenderes. Incidisti in manus latronum, & nunc inter latrones nudus & semimortuus inueniris, neque sanè alij sunt latrones, inter quos agis, nisi nostra peccata, quæ vt certissimi latrones Deo honorem, tibi vitam eripiunt.

COLLOQVIVM.

PETES à Deo quandoquidem ipse socios in cruce sibi esse voluit latrones, quorum societate ipse iniquus quoque & improbus iudicaretur, pro salute tua: det tibi gratiam, vt quia ipse supremus & glorioſus Deus, se tua causſa tantum depressit & abiecit, vt & tu, qui verè malefactor es, & iniquus, non erubescas, sed potius gaudeas haberi pro eo, qui es, & libenter amore ipsius, & in pœnam peccatorum acceptes omne dedecus, vt in ipsius gloria tu quoque cælesti honore afficiaris.

DOCVMENTA.

1. SICVT *Christus crucifigi voluit amore nostri, inter duos latrones: sic nos*

nos amore ipsius spiritum nostrum debemus crucifigere, inter duos latrones, carnem & mundum.

2. Vt Christus in sua societate toleravit Iudam; in morte non dedignatus est medius esse latronum; decet & nos nō indignari, sed tolerare imperfectiones proximorum, neq; auersari humiliorū aut nobis inferiorum hominū conuersationem.

3. Quæ ab hominibus contra innocentiam nostram, ad opinionem de nobis imminuendam dicuntur, ea patienter ferenda sunt. Nam & Christus innocentissimus, inter latrones crucifigi sustinuit.

4. Quanquam in medio latronum esset, nihil tamen vitij ab illis contraxit, sed alterius conuersione, suam cum illis sanctitatem communicauit. Sic nobis inter peccatores vitam agentibus danda est opera, vt non illorum nobis vitia, sed illis nostra potius virtus adhæreſcat.

5. Christus nasci voluit inter bruta animalia, viuere cum pauperibus, mori inter latrones. Non sufficit, Christi imitationem professis cepisse cum humilitate conuersionem suam, nisi Christi exemplo, ad finem vsq; vitæ constanter refugiant ab omni humana gloria, & amplectantur sui contemtum & confusionem.

MEDI-

MEDITATIO TRIGESIMAOCTAVA.

DE TITVLO CRVCI *impoſito.*

EVANGELIVM.

Matt.27. Marc.15. Luc.23. Ioan.19. SCRIPSIT autem titulum Pilatus & cauſſam eius, & poſuit ſuper caput eius. Erat autem ſuperſcriptio ſcripta literis Græcis, Latinis, & Hebraicis: Hic eſt Ieſus Nazarenus Rex Iudęorum. Hunc ergo titulum multi Iudæorum legerunt. Dicebant ergo Pilato Pontifices Iudæorum: Noli ſcribere Rex Iudæorum; ſed quia ipſe dixit, Rex ſum Iudæorum. Reſpõdit Pilatus; Quod ſcripſi, ſcripſi.

PROPHETIÆ.

Iſaiæ 19. ERIT *altare Domini, in medio terræ Ægypti,* (Iudææ, quæ ob malam vitam

tum altera Ægyptus erat) *& titulus Domini iuxta terminum eius.*

[1] *Dicito in gentibus quia Dominus regnauit à ligno.*

* S. Iustin. Martyr. in diale. cont. Trypho. affirmat hanc esse antiquam huius Psalmi lectionem, quæ à Iudæis corrupta sit. 1. Punctũ.

CONSIDERATIONES.

SCRIPSIT titulum crucis Pilatus non quemadmodum Iudei volebant; sed vt diuina prouidentia in honorem Saluatoris, & gloriam Ecclesiæ suæ constituerat. Scripsit ergo: *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum.* Nomine IESVS, quod Saluatorem significat, indicatur per mortem & crucem eius salutem nobis partam esse. Nomine Nazareni, quod est floridus, indicatur innocentia & sanctitas Christi, ipse enim erat flos ille pulcherrimus, ex radice Iesse, super quem, vt Propheta inquit, requiesceret Spiritus Domini. Nomine Regis, indicatur potentia & dominatus Christi, in vniuersum orbem: quare & titulus pluribus, maximeque celebratis & latè patentibus linguis conscriptus est, quo diuina prouidentia indicabat fore, vt omnis lingua & omnes populi confiterentur, quod Iesus Christus rex sit regum, & Dominus Dominantium. Denique nomine Regis Iudæorum, id est, confitentium & credentium, indi-

Isaiæ 11.

catur eos, qui ipsum negassent, non fo-
Dan. 9. re populũ ipsius, nec Filios regni ipsius;
sed eos solùm, qui sicut veri filij fideles
Abrahæ, ipsum confessuri, & sanctam
fidem accepturi essent.

O cæci & miseri Iudæi, videte, vt per
hunc titulum triumphalem clarè de-
monstratur inuidia vestra, & malitia ve-
stra confunditur. Nam ea ipsa de causa
mortis, quæ ibi scripta est conuincitur
non esse dignus morte. Si enim Iesus
est Saluator, non debebat morte affici,
qui venerat ad præstandum vobis salu-
tem & vitam. Deinde si est Nazarenus,
id est, floridus & innocens (ipse enim est
flos ille, qui toto orbe spargit odorem
virtutum: est innocens, vt Pilatus non
semel, & Iudas proditor ipsius testati
sunt) innocentiæ & virtuti non mors,
sed vita; non ignominia, sed honor de-
betur. Tertio, si est Rex & Dominus ve-
ster, grande scelus est, Regem suum oc-
cidere: cùm præsertim omnes populi, vt
à multis traditum est, viso rege lætis ve-
cibus acclamare soleant: Viuat Rex. De-
nique si Rex est Iudæorum, de vestro
est sanguine impium est autẽ sine caus-
sa sæuire, & nec dare aliquem cognati
sanguinis. Præterea si Rex est Iudæo-
rum, id est, confitentium, nõ conuenit,

vt eum negetis & cõdemnetis, sed confiteamini, & adoretis, vt legitimum Regem & Dominum vestrum.

Alia autem quadam ratione, propter hunc ipsum titulum conueniebat, imò necesse erat mori Christum. Dictus est enim Iesus, sicut Angelus dixit, quia ipse saluum facturus esset populũ suum à peccatis eorum: quod non poterat, nisi morte pro illis satisfaceret; qui eam meruerant: quia ex lege sine sacrificio & sanguinis aspersione, non fit remissio peccatorũ. Deinde debebat mori quod esset Nazarenus, id est, floridus siue innocens: & Iesus erat flos de quo Propheta prædixit, fore vt caderet & exsiccaretur. Iam verò, cùm inter omnes homines solus ipse innocens esset & sanctus, solus ipse Patris irã in peccatores suo sacrificio placare potuit: conueniebat igitur eum solum pro peccatoribus mori. Tertiò, quia erat Rex, & boni Regis & Principis est, præcedere populum in bello, & primos hostium impetus in acie excipere, vt filij Israel Samueli dicebant, *Rex erit super nos, & iudicabit nos, & egredietur ante nos, & pugnabit bella nostra pro nobis*: sic Saluator noster vt verus Rex præcessit nos, & excepit impetus mortis & Diaboli,

Matt. 1.

Isaiæ 59.

Heb. 9.

Isaiæ 40.

1. Reg. 8.

qui armati in nos irruebant. Sua igitur morte, nostrã vincens, & ligno S. Crucis conterens caput tartarei tyranni, liberatos nos ex illorum manibus, saluti & vitæ restituit. Postremò, mori debebat, quia Rex erat Iudæorum, testamentum enim, quod illi populo regni illius factum erat, non poterat vim habere, nisi mors testatoris intercessisset. Itaque vt promissiones gratiæ & gloriæ, in illo testamento factæ, effectum consequerentur, necesse erat Christum testatorem mori, vt à Prophetis omnibus prædictũ erat.

Heb. 9.

Sed, quæso te, Domine mi, si tu es Rex, vt indicat titulus, vbi diadema regium, vbi sceptrum: vbi sedes regia? nisi fortè horum loco sunt spinæ, quibus transfixum est caput, claui, & crux de qua miserabiliter pendes. Si es Rex vbi purpura & vestis splendida? vbi turba aulicorum qui comitentur, vbi exercitus qui defendant? Video te, Domine mi, nudum in cruce, pauperem, & ab omnibus relictum & contemtum: solum amor, ô dulcis Iesu, te relinquere nõ potest, sed manet socius, & honorat te in ipsa Cruce. Amor est corona, sceptrum, sedes regia, amor est purpura, & vestis regia, qua indutus es, amor est exercitus

tuus,

tuus, quo peccatum destruxisti, vicisti mortem, diripuisti spolia inferorum, & vim faciens, Regnum cælorum pro tuis electis occupasti.

Eamus ergo, & vt veri confitentes, veneremur & adoremus Regē nostrum: confiteamur quia ipse est Iesus, id est, Saluator & Redemtor mundi; precantes, vt animas nostras sanet, & omnibus peccatorum maculis expurget, confiteamur ipsum esse Nazarenum, id est, floridum, & petamus vt nos florentes omni genere virtutum efficiat: confiteamur & Regem Iudæorum, id est credentium, cui Pater omnem potestatem dedit in cælo & in terra, & petamus vt defendat nos, ducatq; ad cælum, vbi illum tanquam Regem nostrum confiteamur, & laudemus in æternum.

COLLOQVIVM.

ROGABIS Christū D. N. vt quoniam non solum per ignominiam crucis, sed etiam per titulū diuersis linguis conscriptum, passus est se pro scelerato & ambitioso haberi, & per omnes populos diffamari; vires tibi gratiæ suæ tribuat, quibus fortiter pugnes sub titulo triumphali: vt illius virtute, victor

tentationũ diabolicarum, possis ad maiorẽ gloriam sui sancti nominis, & animæ tuæ salutem, ab omnibus inimicis perfectam referre victoriam.

DOCVMENTA.

1. *CVM in cruce tentationum, & tribulationum sumus, semper in ore & corde sit nobis auxilium & consolatio nostra, titulus triumphalis Crucis Christi.*

2. *Regem habere Christum recusant ij, quos pudet videri spiritualibus rebus & virtuti studere, ideoq; respectibus humanis deterrentur sæpe dicere aut facere aliquid ad gloriam Christi.*

3. *Certissimum aduersus omnes tentationes remedium est, certum & firmum voluntatis propositum. Cùm igitur vrget nos Diabolus, vt vel vocationem, vel cuiuscunq; boni actionem, de qua iam statuimus, omittamus: respondeamus cum Pilato:* Quod scripsi scripsi, *quod feci, infectum nolo. Sic subitò Diabolus, instar Iudæorum, desinet molestus esse.*

4. *Viuens Christus, titulum Regis planè reiecit, quia honorificus illi futurus esset; in cruce accepit, quod afferret infamiam. Sic seruis Christi fugiendi tituli, honores, dignitas, amplitudo tunc solum ad-*

mittenda, cùm in illis est patiendi materia sine vllo honore.

5. Titulum honoris sui Christus post tergum constitui voluit, calumniatores ob oculos suos. Serui Christi post tergum habere debent, & obliuisci laudes, & virtutes, quæ illos in superbiam possunt erigere: contra semper ob oculos habere, quid peccare & in quo deficere solent, quod humilitatem auget.

* * *

MEDITATIO TRIGESIMANONA.

DE VESTIVM CHRISTI *diuisione.*

EVANGELIVM.

Ioan. 19. Luc. 23. Matt. 27. MILITES cùm crucifixissent Iesum acceperunt vestimenta eius, & fecerunt 4. partes, vnicuique militi partem, & tunicam. Erat autem tunica inconsutilis desuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad inuicem: Non scindamus eam sed sortiamur de illa, cuius sit. Et Milites quidem hæc fecerunt.

FIGVRA.

Gen. 37. FRATRES *Ioſephi interfecti, atque in ciſternam demiſſi veſtem ſanguine tinctam Patri miſerunt.*

PRO-

PROPHETIA.

DIVISERVNT *sibi vestimenta mea, & super vestē meam miserunt sortem.* *Psal. 23.*

CONSIDERATIONES.

CONSIDERA Saluatoris liberalitatem, qui in ipsa cruce quamuis lassus & fractus doloribus mortis: tamen obliuiſci non potest esse beneficus. Cùm se totum, vitam & sanguinem, saluti mundi condonasset, ne quid restaret quod in beneficium peccatorum nō cessisset, vocauit lictores in partem vestium suarum. Rursum vide vt improbi illi carnifices tanto indigni beneficio, accipiunt quasi per iocum pauperes vestes, atque ante oculos ipsius Christi, vt crescat contemtus, dilacerant, mittunt super eas sortem, in Christi paupertatem ioca iacientes. Cogita Christi dolorem, cùm videret quanto contemtu tractarent & irriderent vestimenta sua: Item matris ipsius, cùm videret sortem mitti, & prædam fieri vilissimorum carnificum vestem, quam cum tanto amore & deuotione suis ipsa confecerat manibus, neque facere potuit, quin ad Filium lacrymosos oculos vertens diceret: *1. Punctū.*

Heu, cor meum, nihilne dabis Matri tuæ, quæ ſuis te vberibus educauit, quãdo carnificibus, qui te crucifigunt, veſtimenta tua diſpertiris?

In ſupplicijs reorum non ſolent morte damnati ſpoliari veſtibus, niſi inſigniter ſceleratus & infamis homo ſit, quod hic Chriſto factũ eſt, cui tanquam eximiè ſcelerato & infami veſtes ablatæ, ipſe nudus relictus eſt. De latronibus nihil huiuſmodi legitur, neque veſtibus exutos, neque irriſos, vt Chriſtus, quem ſolum tot modis, plus quàm alium quemquam vexarunt, & contemtui habuerunt. O compaſſio! O crudelitas, cui nulla ſimilis audita eſt, ad pedem crucis, ſpectante Chriſto, ſub oculis matris, ſtant crudeles lictores, poſtquam laceraſſent corpus Filij, etiam veſtes per lacerium lacerantes: quodq; maiori dignum miſericordia, vnà cum filij veſtibus, nõ in quatuor, ſed plus quàm mille partes, cor amantiſſimæ Matris diuellunt ac diſtrahunt.

Conſidera hic inſignem Chriſti humilitatem, & vide in quorũ manus traditus ſit Rex gloriæ Dominus Maieſtatis: in manus hominũ nouiſſimorum, qui tam eſſent inopes & contemti, vt veſtes Chriſti, quanquam exigui precij, tanta

tanta inter se cura diuiderent. Quousq; se dimisit altitudo cæli? ô ineffabilis patientia Saluatoris; qui ista coram se fieri videns, tulit patientissimè, neque mirum, cùm ipse esset Agnus ille mansuetissimus & innocens, qui se pro peccatis mundi offerens, non solùm non aperuit os suum, contra crudelissimos tonsores illos suos; verùm etiam benignè vestiuit, & texit illos lana sua.

Voluit Dominus vestimenta in quatuor partes diuidi, vt ostenderet fidem suam, in quatuor orbis plagas vbique propagandam. Sic enim omnes populi, per fidem Christi participes facti passionis eius, ipso Christo induendi erant, quemadmodum Sole vestitur & ornatur vniuersus orbis. At inconsutilem Tunicam, quæ figura esset Ecclesiæ, noluit diuidi, vt significaret vnitatem eiusdem Ecclesiæ, quæ per omnes mundi plagas, in omnibus nationibus & populis, vna & indiuisa futura esset, sicut est vna fides, vnum baptisma, vnus Deus abomnibus adorandus. Voluisti etiam, dulcis Iesu, quemadmodum vestis diuisa est, ita quatuor facere partes amoris. Primam tribuisti Angelis: quorū instauraſti ruinas. Alteram hominibus, quos tuo sanguine redemisti. Tertiam inimi-

cis, pro quibus apud Patrem deprecatus es, excusans peccatũ eorum. Postremam ijs qui te crucifixerunt, quos vestibus tuis induisti.

COLLOQVIVM.

ROGA Christum D.N. per illum amorem, quo voluit sanctas vestes suas diuidi inter crudeles carnifices, qui cruci illum affixerant, vt gratiam tibi concedat, quoniam & tu per peccata & offensiones contra ipsum, etiam vnus es ex crucifixoribus, vt etiam particeps fias precioſæ vestis incomparabilis suæ caritatis, vt hanc tuam nuditatem operiens, & peccatorum tuorum turpitudinem, in morte securus ipsi apparere possis, neq; à cælestibus nuptijs excludaris.

DOCVMENTA.

1. *PARATI esse debemus, vt bene faciamus ijs, qui nos iniurijs aut damno afficiunt: vt Christus suos crucifixores remuneratus est, vestiũ diuisione.*

2. *Si vestes Christi, inter homines infimos diuisa sunt, cur nos volumus omnia nostra, ab omnibus magni fieri, & in admiratione haberi.*

3. *Vestes Christi diuidimus, cùm inter nos non satis conuenimus, aut cum aliis discor-*

discordiæ aut discensionis occasionem præbemus.

4. Conseruanda est integra vestis amoris in Deum; non alijs rebus amandis diuidenda: vt neque Christus tunicam voluit diuidi.

5. Non magnopere commoueri debemus, si propter amorem Christi mundus laceret vestes exteriores seu famæ seu bonorum; modò interiorem vestem virtutis & innocentiæ integram conseruemus.

6. Religiosus per votum obedientiæ cum Christo pendet in cruce abnegationis sui: per votũ paupertatis exuit se & diuidit vestes temporalium bonorum: per votum castitatis, vestem interiorem iustitiæ, quæ intus anima vestitur, integram seruat.

7. Ii qui vestes Christi inter se diuiserũt, erant milites, vt intelligamus, Dominum passionis & mortis suæ præmia, non diuidere inter delicatos, sed inter milites, id est, eos qui strenuè contra vitia & semetipsos pugnant.

ME-

MEDITATIO QVADRAGESIMA.

DE INIVRIIS ET IRRIsione Christi in cruce.

EVANGELIVM.

Matt.27. Marc.15. Luc.23.

TRANSEVNTES autem blaſphemabant eum mouentes capita ſua, & dicentes: Vah, qui deſtruis templum Dei, & in triduo illud reædificas. Saluum fac temetipſum. Si filius Dei es, deſcende de cruce, Similiter & Principes Sacerdotum deridebant illum, illudentes ad alterutrum cum Scribis, & ſenioribus; & dicebant: alios ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluum facere: Si Rex Iſrael eſt, deſcendat nunc de cruce, & credimus ei. Confidit in Deo, liberet eum nunc, ſi vult. Dixit enim: Quia filius Dei ſum.

FIGVRA.

FIGVRA.

NOE, *vini haſtu inebriatus, nudus iacebat dormiens in Tabernaculo, quem videns Cham filius illuſit, oſtendens eum fratribus ſuis.* Gene. 9.

PROPHETIÆ.

OMNES *videntes me, deriſerunt me, locuti ſunt labijs, & mouerũt caput.* Pſalm. 21.

Sperauit in Domino, eripiat eum, ſaluũ faciat eum, quoniam vult eum.

Ego factus ſum opprobrium illis, viderunt me, & mouerunt capita ſua. Pſalm. 108.

Plauſerunt ſuper me manibus omnes tranſeuntes per viam ſibilauerũt & mouerunt caput ſuum. Thren. 2.

CONSIDERATIONES.

INAVDITA planè fuit Iudæorum in Saluatorem feritas, vt qui non ſolùm nullo humanitatis affectu mouerentur ad miſericordiã extremę miſerię: ſed feris ipſis crudeliores, non ceſſabant inter ſupremam animam, quando cum acerbiſſimis doloribus agonizans cõfligabatur, vexare illũ. Quodq; factis iam non poſſunt, lingua efficiunt, vt illum offendant, & quia nullum in ipſo peccatum 1. Punctũ.

peccatũ inueniunt, quod illi obiectẽt: in faciẽ ipſa beneficia quę ab ipſo receperunt, exprobrant. Spatiabantur ſurſum, deorſum, ante Crucẽ ſuperbi Pontifices concutientes capita ſua, & deridentes Chriſtum vna cùm Principibus Scribarum, & falsè ridentes, omnia in conuitia vertebant, quæ aliquando Saluator illis inſtruendi cauſſa dixerat, omnia miracula & opera, quibus curauerat ipſorum infirmos. O linguas peſtiferas! ô malitiam diabolicã! Inuiſus eſt hic tam crudelis ſupplicij modus. Eo tempore, quo omnibus ſceleratiſſimis etiam, aliqua humanitatis & miſericordiæ ſigna exhiberi ſolent: ſoli Chriſto Redemtori, qui aduerſarios ſummis ſibi beneficijs obligârat, negatur omnis humanitas, compaſſio, miſericordia.

Cõſidera quam grauiter hæ blaſphemiæ & maledicta, manſuetiſſimi IESV cor mite ſauciârint. Nam maledicta cõiecta in calamitoſum hominem & miſerum, magis pungunt qnàm ipſa calamitas, tantoq; penitius perſecant, quod videat Chriſtus ijs ſe factum opprobriũ, quibus ſe ipſe dederat & res vniuerſas, quorum vitam ſolus ipſe ſeruabat, quos paſcebat: quibus largiebatur & conſeruabat ſanitatem, robur, vires, amplitudinem,

nem, atque omnia quæ possidebant bona. Ad hos præcipuè redimendos è cęlo descenderat, ex horum stirpe carnem assumpserat, horum caussa triginta ipsos annos tot labores, fatigationes, ærumnas in mundo pertulerat: horum caussa denique tot cruciatus & mortem tum subibat, vt illis vitam redderet. Iam, pro tot beneficijs, quæ à Christo acceperant, exprobrant illi eadem ipsa; vt planè appareat omnia hæc consilijs agi Diaboli, qui cùm dubitaret an Christus esset is, qui venturus esset ad reddendam mundo salutem, omnia fecit, vt passionem eius impediret, & omnia arte adhibita, conatus est eum ad impatientiam inducere aut desperationē, aut certè quoniam tanto se desiderio Iudæos conuertendi teneri ostenderat, vt hoc saltē obtento persuaderet, vt de cruce descenderet.

Alios saluos fecit, se ipsum non potest saluum facere, dicebant improbi Iudæi. At si Christus voluisset seipsum saluum facere, neque ad finem vsque perseuerare in Cruce, non potuisset saluos facere alios. Cùm enim scriptum sit, non posse esse saluum, nisi qui perseuerauerit vsq; in finem; multo minus poterit esse Saluator. Tu igitur, bone Iesu, vt alios

vt alios posses, te ipsum saluum facere noluisti, sed voluisti pro nobis pati & mori. Non potes ergo teipsum saluũ facere, quia non vis, non vis, quia nimium nos amas, & quia animum tuum amor ligatum tenet. Addunt illi improbi: *Si filius Dei es, salua temetipsum: descende de cruce.* O cęca Iudæorum stultitia, imò quia verus est filius Dei, nõ debet relinquere obedientiam Patris, neq; de Cruce descendere, neque omittere calicem bibere, quem dedit illi Pater, quæ obediẽtia & zelus paterni honoris, tam erat Christo Saluatori curæ, vt si omnes Cæli, terræ; & inferorum vires in vnum conflatæ, eum à cruce detrahere conarentur, nec mouere quidem illum sufficerent. *Si Rex Israel est*, inquiunt, *descendat nũc de cruce, & credimus illi.* Imò si Rex Israel est, ne descendat: quia cùm scriptum sit, Dominum à ligno regnaturum, & Pilatus regium in cruce titulum affixerit, optimè conuenit, vt si sit Rex constans maneat in Cruce: neque imperij sui virgam deserat, neque titulum regni relinquat.

O mi dulcissime Domine Iesu, quid nobis factũ fuisset, si tu suasionibus inimicorum permotus de cruce descendisses. Quàm multi deficerent sub onere passio-

passionum & tribulationum huius vitę, nisi tu tam eximium constantiæ & perseuerantiæ exemplū reliquisses: māsisti constans in cruce, vt nos doceres, nunquam patiendi aut mortificādi nos finem facere, donec vitæ finē faciamus. Mansisti & cōstans in Cruce, vt eam tua commoratione molliorē, & dulciorem redderes. Cùm enim sit scala cęli, nimiū nobis ardua fuisset visa, nisi tu viam prę-iuisses. Mansisti præterea in Cruce, vt tegeres & defenderes nos, excipiens plagas & verbera iræ paternæ in teipso, quæ nostris peccatis debebantur. Denique mansisti in Cruce, vt omnia traheres ad teipsū, vt traheres corda hominū ad tui cognitionem, amorem, & obedientiam:

Cogita, quomodo misericordissimus Dominus, inter tot dolores & ludibria tacitus secum locutus sit. Populę meus, quid feci tibi, aut in quo contristaui te. quod tam crudeli sis animo in me Creatorem tuum & Deum tuum? Ego tui amore percussi Ægyptum, siccaui sub pedibus tuis mare rubrum, & sine labore tuo consumsi inimicos tuos. Tu me tradidisti in manus Pilati, percussisti me flagellis, & cum tanto studio mortem mihi curasti. Ego te cibaui manna in deserto, & tu me potasti felle & aceto:

ego

ego te quadraginta annis in deserto sicut mater portaui brachijs, conseruans vestimenta tua ne consumerentur: & tu imponens mihi crucem, duxisti ad mõtem Caluariæ, & spolians me vestibus meis, nudum me ibi crucifixisti. Ego te honoraui sceptro & corona regia, & tu me coronasti spinis, & deludens me, sceptro arũdineo percussisti caput meũ. Populemeus, quid amplius faciam tibi? Ecce triginta tres annos laboraui, clamans & faciens mirabilia, vt conuerterem te ad me, & nunquum voluisti mihi auscultare. Cesset iam saltem malitia tua & frangatur duritia cordis tui, & quod verba, & miracula apud te nõ potuerunt efficere, nunc saltem acerbissima passio mea, multitudo vulnerum meorum, calor sanguinis & lacrymarum mearum emolliant cor tuum, vt conuertas te ad me Deum tuum.

COLLOQVIVM.

PETES à Christo D.N vt quemadmodum ipse pro te verborum contumelijs, in cruce voluit irrideri, & iniurias ab inimicis ferre: tibi etiam gratiam largiatur, qua firmus, nulla suggestione aut tentatione diabolica vel humana induci te patiaris, ad deserendam crucem seruitutis

seruitutis suæ: aut crucem pœnitentiæ in rebus aduersis, quas ipse tibi mittit pro salute tua. Sed vt in obsequio ipsius, & sancto tuo instituto firmus semper & constans ad mortem vsque perdures.

DOCVMENTA.

1. *QVANQVAM Diaboli persuadere nobis laborent, vt de cruce descendamus: aut relicto proposito vitæ sanctæ, aut omissa exercitatione aliqua operis boni cui assueuimus, non sunt tamen audiendi, sed ad mortem vsque ad Christo manendem in Cruce.*

2. *Quia Christus erat Filius Dei, non conueniebat illum de cruce descendere, sed ascendere ad Patrem: Sic non cõuenit seruos Dei, vt ad imperfectiones & res humiles mundi descendant: verùm ascendant de virtute in virtutem, vsque ad verticem perfectionis.*

3. *Quod boni semel proposuimus, id constanter debemus exequi: neque vllo prætextu boni operis, (quamuis totum mundum lucrari possemus) vltro ad imperfectionem vllam descendere. Nam & Christus, ne promittentibus quidem Iudæis se credituros ei, voluit de cruce descendere.*

4. *Opprobrijs & iocis lacessitus in cruce Christus tacet: at non tacet latroni, Matrem*

Matrem consolatur: Patri se commendat; vt nos doceret: vbi vel honor Dei, vel salus animarum ageretur, ibi nos prodendi & loquendi tempus esse: sed si quid nobis persecutionis aut iniuriæ adferatur, amore Christi tacendum & ferendum.

5. *In tentationibus & angustijs quanquam videamur destitui ope diuina, nunquam tamen debemus spem de Deo planè abijcere, suo tempore enim sine dubio auxilia & solatia submittet.*

6. *Irrident Christum in Cruce, qui in peccatis suis gloriantur, quibus ipsummet Christum crucifixerunt.*

ME-

MEDITATIO QVADRAGESIMAPRIMA

DE PRIMO VERBO IN cruce prolato à Christo: Pater dimitte illis.

EVANGELIVM.

IESVS autem dicebat: Pater, dimitte illis; non enim sciunt quid faciũt *Luc.23.*

FIGVRA.

DVM filij Israel in deserto sibi idolaconstituunt, & contra ducem Moysem grauiter murmurant: Moyses ipse flexis humi genibus in vertice montis rogabat, vt Deus illis ignosceret. *Exod.32.*

PROPHETIÆ,

PRO eo, vt me diligerent, detrahebant mihi. *Psal.108.*

Ego autem orabam, & posuerunt aduersum me mala pro bonis, & odium pro dilectione mea.

Et pro transgressoribus rogauit. *Isaiæ 53.*

CON-

CONSIDERATIONES.

1. Punctū. NON satis fuit impietati istorum, vt blasphemi essent in Filium Dei, nisi etiam impias in Deum, Patrem misericordiæ linguas exererent. *Si sperat*, inquiunt, *in Deum, liberet eum, si vult.* Qua blasphemia simul exprobrāt Christo spem in Deum Patrem, simul violant potentiam aut bonitatem eiusdem Patris, quasi qui vel nollet, vel non posset Filium liberare. Heu securis illa doloris, quæ iniecta est cordi benignissimi Saluatoris, vt sensit tam impium conuitium in Patris ignominiam dici. Commouebatur intimis visceribus ad misericordiam furibundę illius & cæcæ gentis, cùm horribile iudicium præuideret, quod sceleratis illis ob hanc blasphemiā impendebat. Itaque benignos illos oculos ad cælum tollens, exclamat lacrymabili voce primum hoc verbum misericordiæ. *Pater dimitte illis, quia nesciunt, quid faciunt.* Considera hic quomodo Christus inter tot ludibria, tot pœnas, tot cruciatus, quibus distrahebatur, semper inuictam seruat caritatem: semper reddit bonum pro malo, &, vt scriptum est, cùm malediceretur, non remaledicebat; cùm torqueretur, non se vindicabat,

1. Pet. 2.

bat, non cominabatur; sed intimè suis inimicis cōpatiens Patrem orabat, quo se verum Magistrum & doctorem illius populi demonstrabat. Legem enim, quam verbis olim docuerat, de iniurijs inuicem condonandis, iam confirmat exemplo, & in fine vitæ sanguine subscribit, & obsignat.

O incomprehensibilis caritas, ô abyssus misericordiæ, ô clementia Saluatoris inaudita. Distracta sunt membra eius sancta in cruce, rumpuntur nerui, artus soluuntur, manus & pedes crudeliter sunt perforati, omni ex parte deluditur, & blasphematur: & ipse inter hæc omnia supplicia & illusiones, non murmurat, non irascitur, non flammam cęlo iubet descendere, non terram hiscere ad inimicos absorbendos. Denique non alijs armis pugnat aut propugnat quam caritatis. Hæc illi iniuriarum adfert obliuionem, hæc dolores sentiri non patitur, hæc perfecit, vt sui oblitus, solùm misericordiæ in inimicos memor, pijssimo hoc verbo paternam iram placaret, ne in eos animaduerteret. Pauca sanè huius precationis verba fuerunt, sed abundantes lacrymæ & sanguis, quæ quia eam comitabantur, exauditus est, pro sua reuerentia. *Heb. 5.*

O Iesu dulcissime, cùm tu sis ille in quem peccent, & cui iniurias inferunt, cur non dicis te illis ignoscere, sed Patrem pro venia rogas, tanquàm ad illum tantùm, non ad te pertinerent iniuriæ, & pluris esset apud te honor illi', quàm mors tua? Sanè filius Dei honori Patris vitam suam posthabebat: sed tamẽ suas iniurias non æstimabat, neque percussores suos in loco inimicorum ducebat, sed amicorum & fratrum, quod magis respiceret, quod ex hoc facto boni in vniuersum orbẽ profecturũ esset, quàm quantum ab ipsis mali in sua cæde committeretur. Itaque hęc verborum ad Patrem est sententia: tu habes quod illis agnoscas, quia legem tuam ruperunt, doctrinam tuam infamauerunt, Filium tuum occiderunt, ego nihil quod ignoscam habeo, quod bene collocatos putem labores passionis & mortis meæ, quibus vniuersus mundus recepturus est vitam.

Excusabat Iudæos apud Iudæos Saluator, quia nescirent quid facerent. Sanè nesciebant: sibi enim male, Christo bene faciebant. Sciebant quidem quid mali ipsi facerent, sed nesciebant, quid mali ex hac cæde Christi ad se rediret. Planè vt peccatores cæci, dum peccant, nesciũt quid

quid agāt, si enim penitus perſpicerent, quanto ſuo cum malo diuinū iudicium parui pēdant, quāta impietate Dei ęterni bonitatē violent: quāto dedecore deſœdent pulchritudinē animæ ſuę, quæ illis pœnæ & ſupplicia ęterna ſint parata: quam grandis ſit iactura æternæ gloriæ, nunquā ſe ad peccatū induci paſſi fuiſſent, quia millies mori quā clementiſſimū Redēptorem offendere maluiſſent.

Reſpice iam Pater ætere in faciem filij tui Ioſeph, iniuſtè venundati, & traditi in manus virorum ſanguinum. Vide *Gen. 37.* an hæc ſit veſtis filij tui an non? Fera peſſima deuorauit eum, & ſanguis peccatorum noſtrorum imbuit veſtimēta eius, turpeſq; honeſtiſſimæ famæ illius maculas aſperſit. Vide ſacra Filij tui membra, vt extendantur in morem fidium ſonos reddentium, in hac cythara Crucis. Audi ſuauem concentum, haſtenus in mundo inauditum, quem effecit verus tuus & fidelis Dauid, ſonans in aurem miſericordiæ tuę: *Pater dimitte illis, quia neſciunt quid faciant.* Attende Pater miſericordiarum, ſuauiſſima hæc carmina, quæ te rogant, vt accipias pęnas & cruciatus Filij: & ignoſcas erroribus & ignorantiæ ſerui. Vox enim *Gene. 4.* ſanguis innocentis Abel, clamat ad te

de cruce, postulans pro nobis non vindictam, sed misericordiam; non iustitiam, sed gratiam.

COLLOQVIVM.

ROGA Christum D.N. per inauditam illam caritatem, qua in cruce circumdatus doloribus mortis, pro suis crucifixoribus orauit; largiatur & tibi gratiam, vt eius exemplo ignoscas omnibus, & ores pro ijs, qui quocunq; modo te offenderint. Quando autē tam fuit in suos inimicos liberalis: dignetur & in te misericordiam suam ostendere, vt per merita passionis ipsi' possis à Patre æterno veniam impetrare tot offensarum, quas & ante hac, & nunc perpetuò aduersus Maiestatem eius admittis.

DOCVMEMTA.

1. *QVEMADMODVM Christus tanta caritate pro inimicis deprecatus est: sic & nos promtos esse conuenit ad veniam omnibus iniurijs dandam, & orare pro persequentibus & malè de nobis loquentibus.*

2. *Quia tam bonus est Dominus, vt ignoscat crucifixoribus suis, ponamus & nos certam spem in misericordia eius, & rogemus vt & nobis ignoscat, qui peccatis nostris*

tis nostris non minus, quàm Iudæi ipsum crucifixmus.

3. *Si nefariũ illud scelus inimicorum, Christus apud Patrem excusauit: quantos conuenit magis, si quidem caritate traditi sumus, excusare non augere exiguas proximorum offensiuncula.*

4. *Magis Christum peccata Iudæorum quàm sui dolores angebant; itaque Patrẽ non pro se, sed pro illis rogauit. Sic & nos si veram pietatem imbiberimus, plus cura suscipiemus in salute alterius spirituali, quàm in nostra temporali.*

5. *Si Iudæi excusatione digni videbantur, quod nescirent, quid facerẽt: nos quibus Christus cognitus, toties tamen iterum per peccata crucifigitur, quam apud Deum inueniemus excusationem?*

6. *Christus à quo tempore in horto captus est, ad mortem vsque multa fecit & pauca dixit: vt doceret nos, cum in res molestas & duras incidimus, patientia multa non multis verbis opus esse.*

MEDITATIO QVADRAGESIMASECVNDA.

DE SECVNDO VERBO, quod alteri latronum dixit Christus.

EVANGELIVM.

Luc. 23.

VNVS ex latronibus qui crucifixi erant cum eo, improbrabat ei, dicens. Si tu es Christus, saluum fac temetipsum, & nos. Respondens autem alter, increpabat eum, dicens: Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es? & nos quidem iustò, nam digna factis recipimus: hic verò nihil mali gessit, & dicebat ad Iesum: Domine, memento mei cùm veneris in regnum tuum. Et dixit illi Iesus: Amen dico tibi: hodie mecum eris in Paradiso.

FIGV-

FIGVRA.

IOSEPHVS in carcerē cum duobus maleficis coniectus, alteri prædixit fore vt euadcret, & gratiæ Pharaonis restitueretur: alter deinde capitis damnatus est. Gen. 40.

PROPHETIA.

ERIT tibi anima tua in salutem, quia in me habuisti fiduciam. Hier. 39.

CONSIDERATIONES.

NIHIL deerat benedicto Iesu ad summum opprobrium, nisi vt alter latronum, Iudæorum procaciā imitatus, etiam se ad illius conuitia & blasphemias conuerteret. Insignis fuit malignitas Phariſęorum, qui Saluatori iam cum mortis doloribus conflictanti, non cessarunt tamen illum ludibrijs & contumelijs incessere: sed longè est admirandum magis, hominem vilem, quem sua scelera in furcam egerant, ausum fuisse blasphemias in autorem vitæ euomere. Sed quāto hic latro sceleratior, tanto magis pius alter fuit in agnoscendo Christo, & reprehendo sodali. Fuit sanè insignis hæc professio, quo enim 1. Punctū.

tempore Apostoli de Christo non audebant loqui, eo tempore latro publicè illum profitetur Deum: idque tanta constantia, vt illum non circumstantium timor, non conspiratio totius populi, non Petri negatio, non proditio Iudæ, non fuga discipulorum omnium, non denique carnis infirmitas, quam tunc videbat in Christo, potuerint mouere, aut à sua confessione retrahere, quin etiã qua reprehensione socium compescuit; eadem accusauit & pudore affecit cæteros omnes, qui impiè in Saluatorem loquebantur.

Cõsidera, quàm multa paucis verbis felix iste latro ostẽdat. Primò, fides magna est, quod eum quem supplicijs obnoxium iam mori videbat, credidit & professus est Dominum & Regem, non terrenum quempiam, sed cęlestem. Secundò, spes firma, quod eum grauitas peccatorum non deterreret, quo minus demisso animo se ad Saluatorem conuerteret, petens, vt sui meminerit, id est, sui misereretur. Tertiò, eximia caritas: quod sua confessione defenderet & prædicaret Saluatorem, simul etiam socium argueret & coerceret. O fidelissimum confessorem, ô humilem pœnitentem! Nihil habebat liberum felicissimus latro,

præter

præter cor, & linguam, manus & pedes hærebant affixi ad crucem, vtrumque ergo consecrauit Christo. Cor dedit perverum de suis peccatis dolorem, perque intimum sensum, quo Christi iniustis pœnis compatiebatur. Linguam dedit, cõfitendo peccatum suũ, & prædicando innocentiam & Maiestatẽ Redemtoris.

Vnde verò latroni huic tam repentina mutatio? cùm hactenus fuisset homo sceleratus & infidelis, quomodo repentè abundat tanto lumine & caritate? Hæc verè fuit mutatio dexteræ Domini, ad cuius dexteram pendebat. Lumen hoc quod illuminauit, & flamma hæc quæ accendit tenebrosum illud & conglaciatum cor, non aliunde proficiscitur, quàm à lucente illa lucerna, posita super candelabrum crucis, vt mundum illuminet: & ab igne illo, qui de cœlo missus est, vt accendat omnes mortales diuino amore. O felix & fortunate latro, quando tu dignus fuisti, qui primus omnium os tuum ad fontem aquę viuæ apponeres, & vsq; ad ebrietatẽ biberes mustum hoc nouum, quod ex suauissimo racemo Christo Iesu torculari crucis expressum est, pro salutifera potione, & medicina animarum nostrarum.

Psal. 76.

Luc. 12.

Sed videamus, quid beniſſimus Saluator reſponderit, an fortè diſſimulat, an tacet, aut verbo aliquo aſperiore increpat, vt videbatur par eſſe in homine tali? Nequaquam, paratior enim ad dandum erat Dominus, quàm ad accipiendum latro. Reſpondit igitur: *Hodie mecum eris in Paradiſo.* O vox plena dulcedinis, & cōſolationis! O ſuauiſſime Domine, quā benignus quàm largus, imò quàm prodigus in hunc latronem fuiſti. Quàm grande reliquiſti nobis clementiæ tuæ argumentum, quàm certam ſpem veniæ peccatoribus præbuiſti? Quid non ſperemus, & quid tu non largieris, cùm iam in cælo regnes, ſi tanta largitus es moriens in cruce!

Vide vt paullatim magis magiſq; Saluator ſinū miſericordiæ expandat. Paullo ante pro crucifixoribus orabat, nunc homini improbo Paradiſum aperit. Facilè apparet te veniſſe in mundum vt peccatores ſaluos faceres. Cùm primùm ingreſſus es adhuc in præſepi iacens, ex oriente vocaſti Magos: nunc egreſſurus ab hac vita latronem à Cruce, vt eum inter primos tecum deducas in cælum. Quàm magna eſt multitudo miſericordiæ tuæ, ſuper eos qui timent te, & in te confidunt. Neque aliter fieri poteſt, tu enim

enim nihil es aliud quàm bonitas & misericordia, imò verò fons omnis bonitatis, vt mirum non sit nihil à te proficisci aliud, quàm misericordiam, veniam, consolationem.

O felix latro, supra quem tam abūdè diuina bonitas se effudit. Tu solus inter omnia Christi mēbra, socius Christi in cruce esse meruisti: tu solus cū B. Virgine cognouisti & deflesti Iesum Deū & hominē, tu solus diuinitatem & innocentiam eius publicè professus es, & liberè peruersitatē socij tui insectatus vna cùm Principibus Iudæorum. Benigne Iesu quem tunc doloris sensum habueris, cùm totū illud discipulorum collegiū, tot alij, quos tua doctrina, exemplo, miraculis docueras, & conuerteras, omnes ad vnum dilapsi essent: nullus inueniretur, qui in te perfectè crederet, nullus qui tuæ gloriæ testis esset, qui te, auderet defendere, nisi hic vnicus latro alienigena, qui nunquam te viderat vel audierat. Hei mihi, Domine, quàm sterilis & infructuosa est terra nostra, quàm cū triginta tres ipsos annos, multo cū sudore tuo colueris, toties præcioso sanguine irrigaris, ad extremum vix istum exiguum fructū messuisti, qui te solaretur, quemq; vt primitias laborū patri cęlesti offerres.

qui te solaretur, quemque vt primitias laborum patri cælesti offerres.

COLLOQVIVM.

O Dulcissime Iesu, ô fidelissime amator noster, in quibus te angustijs video pendentem in cruce? Obsecro te, voca me, vt hunc latronem vocasti, trahe me in crucem tuam, vt cum latrone euadam socius tuus, cum illo te confitear cum illo per copiam lachrymarum tibi Deo, qui tanta pro me sustines, intimè compatiar. Memento mei Domine in regno tuo: & quia latronem non reiecisti propter magnam clementiam tuam, dignare me recipere, & cum illo collocare in Paradiso.

DOCVMENTA.

1. *CVM ab hominibus abiectis aut improbis calumnias sustinemus, patienter ferendum est: Christus enim se à latrone subsannari passus est.*

2. *Si quid in Deum, sanctosq; impiè dicatur aut fiat, nequaquam ferendum est: sed vt à bono latrone impius, sic blasphemus ille, quisquis est, à nobis grauiter, ex zelo animorum reprehendendus est.*

3. *Si Deum volumus misericordem in nos esse, non calanda aut excusanda, sed agnoscenda est culpa, & peccata syncerè confitenda, quod bonus latro fecit.*

4. Cùm

4. *Cùm proximum audimus traduci aut accusari, debemus eum boni latronis exemplo defendere & excusare; nos verò ipsos in conscientia nostra continuò reprehendere & accusare.*

5. *Cùm propter peccata in pœnas & castigationem Dei incidimus cauendum ab impatientia, & maledicentia, quod non cauit malus latrò; imitandus magis bonus latro, vt ad cor redeamus, & humiliemus nos: Sic enim merebimur solatium accipere à Domino.*

6. *Si latronem, qui totam vitam per grauia scelera peregerat, ob vnius horæ obsequium Christus paradiso remuneratur: quid illis dabit, qui ad mortem vsq; fideliter ipsi seruiunt?*

7. *Christus de duobus latronibus, quĩ cum ipso moriebantur, vnum saluum fecit, vt nemo desperet, si instanti morte, peccatorum sibi adhuc sit conscius: sed nõ & alterum saluum fecit, vt nemo prætendens misericordiam Dei, pœnitentiam ad finem vitæ differat.*

8. *Bonus latro, vna actione insigni præstita in honorem Christi, meruit primus esse, qui post Christũ ingrederetur in Paradisum. Ne confidant serui Dei in multis annis in religione consumptis, multi enim in religione tyrones, in regno calorũ multis*

antiquioribus præferẽtur. Pluris est enim apud Christum hora vna feruens, quàm multi anni tepentes in ipsius seruitio.

9. Latroni, qui vnum tantùm dixerat bonum verbum, respondit Christus tam consolatoriè: at Matri, quæ cũ tanto amore illi seruierat, ita locutus est, vt magnus illi dolor accederet, Non est meritum & sanctitas, in magna animi lætitia & consolatione; sed in tribulationibus pro Christo fortiter sustinendis.

10. Tam grata est Christo peccatorum salus, vt tempore passionis, quo nullam neq; diuinam neq; humanã volebat admittere consolationẽm, hoc tamen solatij sibi seruarit, vt peccatorem vnum conuerteret. Itaq; si rem gratam Domino præstare volumus, omnibus viribus cum ipso laboremus in reuocandis ad salutem peccatoribus.

MEDI-

MEDITATIO QVADRAGESIMATERTIA.

DE TERTIO CHRISTI *verbo ad Matrem.*

EVANGELIVM.

STABANT autē iuxta crucem Iesu, mater eius, & soror matris eius, Maria Cleophæ, & Maria Magdalena. Cùm vidisset ergo Iesus matrem, & discipulum stantem quem diligebat, dicit matri suæ: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo: ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua. *Ioan. 19.*

FIGVRA.

NOEMI *vidua mortuis inter Moabitas filijs suis, redijt, in patriam* *Ruth. 1.*

triam Bethleem. Cùm autem saluta-retur ab alijs mulieribus, respondit: Nolite me vocare Noëmi, id est pul-crã; sed vocate me Mara, id est amã-ram: quia amaritudine repleuit me vehementer Dominus.

PROPHETIA.

Luc. 2. *ECCE positus est hic in ruinam & in resurrectionem multorum in Israel, & in signũ cui contradicetur, & tuam ipsius animam pertransibit gladius.*

CONSIDERATIONES.

1. Punctũ. STABAT desolata Mater anxia dolore, & perfusa lacrymis ad crucem illam, è qua pendentẽ, & inter acerbissimos cruciatus morientem vidébat carissimum filium. Atque interim vehementia doloris, attonitæ instar, stat mente intenta, oculis defixis nunc in sacrum illud caput, nunc in manus, nunc in pedes; Cùm videret illum quasi deprosum tam miserè deformatum, ex intimo pectore profundos gemitus & suspiria emittebat. Omnes illæ spinæ, clauui, verbera, sanguis copiosè è vulneribus defluens, singuli erant gladij, qui cor

cor ipsius grauissimis vulneribus penetrarent, sic planè vt nõ modò staret iuxta crucem sed in ipsa cruce cũ Filio crucifixa esset. Ibi enim erat cor ipsius clauis affixum, coronatum spinis, transfixum lancea, probris irrisum, flagellatum, felle & aceto potatum. O Mater benedicta, cur iuisti ad montem Caluariæ, vt pro nobis ibi sacrificareris? Non tibi forte sufficiebat passio Filij, nisi vnà cum illo & Mater crucifigeretur? O venter Virginis non beatus, sed afflictus, qui fructum tam tristem protulisti! ô cor Mariæ, iam non cor, sed myrrha & fel amarissimum!

Ah mi dulcis Iesu, quis verbis explicet, quæ sagittæ compassionis simul penetrauerint cor tuum, cùm videres maternum animum, tui amore acerbissimis confici doloribus? Hoc tibi nouum fuit supplicium, hæc altera crux, quam propter peccata nostra perferebas. Ideo enim coram adesse voluisti matrem, vt præsentia & dolore carissimæ parentis dolor tuus augeretur, & esset copiosa magis nostra redemtio. Deinde voluisti illam tibi adesse, & tuos dolores aspicere, vt quæ oculis illa foris conspiceret, ea interius animum sauciarent: quodque Filius patiebatur in corpore, illa pateretur

tur in corde; vt quemadmodum particeps esset passionis filij, fieret etiam particeps, & quasi cooperatrix nostræ redemtionis.

Considera, nullam rem creatam potuisse vnquam tantum amare Creatorem & Deum suum, neque vllam Matrem filium vnicum, quantum B. Virgo amauit Filium, quem simul nouerat esse Creatorem & Deum suum, & à quo certò sciebat, magis se quàm vllam creaturam amari. Itaq; quò maior in illa fuit hic amor, eò grauior fuit & dolor, quem ex illius dolore concipiebat. Ab altera parte vicissim pijssimus Iesus, aspiciens caram genitricem ad crucem adstare tam afflictam, ex intimis visceribus, eius misericordia motus est. Emittebat enim sagittas amoris & compassionis Mater in cor Filij, quę ipsum quasi lethaliter vulnerarent: illa vicissim sagittis amoris & gladio passionis filij sauciabatur & transfigebatur. Matris dolor mirè affligebat Filium, & Filij dolor vicissim dolorem Matri augebat, neq; tamen amor patiebatur, quin inter se aspicerent, etsi aspectu crescceret dolor, & lachrymarum effusa copia, oculis pæne videndi facultatem negaret.

O benedicte Iesu, verè explicari non

potest

potest animi tui molestia, quam aspectus sanctissimæ illius animæ, tantis angoribus exagitatæ tibi afferebat, quam animam noueras tecũ esse crucifixam. Cùm videres cor illud tenerũ diuisum & transfixum doloris gladio, cùm oculos cruoris effusione caligantes, conijceres in illã virgineam faciem colore mortis deformatam, cùm intelligeres animę illius angustias lethales, vt quæ continuè propter te morereturnequetamen mori posset, cùm videres largiter è sacris luminibus profluentes lacrymarum riuos, & audires dolentes gemitus & lacrymosa suspiria, quibus cor tuum conuulnerabatur. Hæc sanè crux grauius animam pijssimam tibi excruciabat, quàm altera illa corpus affligebat.

Tuos verò, ô Martyrum Regina, quis explicare possit dolores, & animi tui intimas angustias? cùm coram aspiceres tam barbara crudelitate supplicijs vexari, & occidi eum quem tanto cum gaudio conceperas, tanta cum gloria nasci videras: cùm videres eum tam horrendis pœnis affectum pendere de cruce, blasphemijs, subsannationibus, accusationibus diuexari ab hominibus, eum, quem olim ab Angelis laudari, à Magis adorari conspexeras, cùm intuereris brachia

brachia illa, quæ tam sæpe, tam iucundè olim te amplexa fuerant, nunc tam crudeliter distracta, cruore & tabo perfusa: cum sacrum illud caput, quod sæpe materno pectori admoueras, cruentum totum, & spinis opertum: cùm denique videres eũ qui toties assederat, & quieuerat in virgineo tuo gremio, iam non habere, vbi lassum caput reclinet. Heu! quàm durum fuit torcular illud, quod eo momento cor tuum pressit? quàm sæpe sustulisti oculos, vt diuinam illam speciem videres, quæ animo tuo gaudium perpetuum solebat adferre; sed oculi, qui eam ita deformatam intueri non sustinebant, aliorsum auertebantur, cùm nec alibi inuenirent quicquam solatij, nimirum cum magno suo dolore, iterum ad te videndum redire cogebantur.

Videns igitur Iesus matrem dixit illi (ostendens Ioannem) *Mulier, ecce filius tuus.* Mulier, inquit, non Mater, quia Filij affectus erga parentẽ teneerrimus non patiebatur, vt lingua proferret nomen Matris: & dolor acerrimus ex dolore Filij conceptus faciebat, vt maternæ aures sine nouo & mortifero vulnere nomen Matris non acciperent. Heu! quàm penetrauit cor Mariæ hoc filij verbum, quo

videbat

videbat se quodammodo abdicari, & permutationem fieri inæqualem. Fluentes igitur lachrymis oculos, sursum tollēs ad ipsum, inquit: Quid est hoc, quod audio Fili mi? pauca verba loqueris, sed mihi admodum acerba. Heu me miseram, quæ est ista commutatio! Discipulus cum Magistro, seruus cum Domino, Filius Dei denique cum Zebedæi filio? Mox tamen cùm intelligeret in spiritu, hoc facto Saluatorem velle, sub Ioannis persona, constituere illam omnium nostrum matrem, & nos illi filios gratiæ, vt esset mediatrix & aduocata nostra: cum magna animi modestia in hoc diuino proposito acquieuit.

Hinc videre est, quanto nos amore complexus sit Christus, qui tot rationes ad salutē nostram prouiderit, cùm imbecillitatem nostram præuideret, simul curauit illi hanc medicinam, id est, commendauit nos carissimæ parenti, sic, vt eam de nobis, non minus quàm de filijs curam & propugnationem vellet suscipere. Itaque Ioanni Dominus, *Ecce mater tua*, inquit, per ipsum nos omnes ita alloquens: Ecce mater vestra. O quā suauis & voluptatis pleniſſima vox hæc peccatoribus & infirmis, habere tam benignam, tam fidelem, tam pio in filios affectu

affectu Matrem, quę ex ijs quæ passa est, didicit compati aliorum infirmitatibus. Ecce igitur Mater nostra, quæ vt facilè te admittat, plena est misericordia; vt adiuuet, est potens; vt locupletet, est plena gratia, denique MATER nostra est, vt nos alat, & lacte suarum consolationum semper confirmet.

COLLOQVIVM.

ROGA Christum D. N. vt ex illa amoris infinitate, qua non solùm per mortem crucis, seipsum nobis dare voluit; sed matrem etiam carissimam, dedit sub persona Ioannis pro Matre & aduocata nostra: det tibi, vt ita profundam ipsius humilitatem imitari possis, & castitatis candorem virgineum, vt dignus habearis eiusmodi parentis filius; vtque in posterum sensu quodam singulari pietatis, in ipsam feraris, tamque illi obediens, ne possit queri se talis Filij matrem. Sit verò ipsa per totam vitam & mortis tempore, fidelissima tibi apud Filium aduocata.

DOCVMENTA.

1. MARIA & Ioannes, *qui apud Christum primi erant in amore, stabant ad pedem crucis, nõ sedebant. Salu-*

lutinequaquam sufficit prope crucẽ Christi esse, & ocium agere, aut nostra negligentia somnum dormire; sed necesse est stare erectos, & pugnare aduersum tentationes, alijs auxilio esse, & Christum in rebus asperis perferendis imitari.

2. Si Christi caritatem imitari volumus, hominum miserorum & afflictorum misereri debemus, quod si aliud non licet, adiuuandi saltem sunt precibus, consilio, commendatione ad eos, qui solatio aut auxilio esse possint.

3. Matrem Virginem Ioanni Virgini commendat Christus. Ne speremus assecuturos nos intimam illã deuotionem erga Dominam nostram, neq; dignos futuros tali Matre, nisi puritatis amantes simus.

4. Si sub Ioannis nomine, omnes nos filios, dedit Matri sua: par est vt eam amemus, eiq; vt obedientes filij seruiamus: ad ipsam vt ad veram matrem confugientes, in tentationibus & angustis rebus.

5. Christus in cruce alloquens Matrem, non Matrem, sed mulierem vocat. Vt doceret religiosos, qui mundo mortui, cum Christo crucifixi sunt per obedientiã, obliuisci debere in terra Patrẽ & Matrem.

6. Si semel concessam ad tempus nobis gratiam deinde subtrahat Deus, non decet se querelis & morositati dare, neq; cessare

ceſſare à ſeruitio & honore ipſius quietos; ſed matrem filio orbatam potius imitari.

7. Non commendauit matrem ſuam Ioanni Chriſtus, cùm ab illa diſcederet primùm ad mortem, ne quidem in vltima cœna, ſed cùm ambo adſtarẽt ad crucem. Cùm enim ex amicis ei vellet illã tradere, qui eſſet certiſſimus; tũ clarè cognitum eſt, Ioannem eſſe fidelem in amicitia, cùm omnibus turpi fuga lapſis, ſolus repertus eſt Ioannes, qui vnà cùm matre ſub cruce adſtaret. Veros amicos & ſeruos Chriſti crux diſcernit, id eſt, tentationum & tribulationum tempus: tum qui conſtantiam ſeruant, nec à recto diſcedunt, illi demum veri ſunt amici Chriſti, & filij Matris ipſius.

MEDI-

MEDITATIO QVADRAGESIMAQVARTA.

DE QVARTO VERBO CHRISTI in Cruce: *Deus meus, Deus meus, vt quid me dereliquisti?*

EVANGELIVM.

ET ab hora sexta tenebræ factæ sunt super vniuersam terram vsque ad horã nonam, & obscuratus est Sol. Et circa horam nonam clamauit Iesus voce magna dicens: Heli, Heli, Lamasabactani, quod est interpretatum: Deus meus, Deus meus vt quid dereliquisti me? *Matt. 27. Marc. 15. Luc. 23.*

PROPHETIÆ.

OMNIA *luminaria cæli mœrere faciam,* *Ezech. 32.*

ciam, & dabo tenebras super terram.

Psal. 21. *Deus meus respice in me, quare me dereliquisti.*

Iob. 30. *Clamo ad te, & non exaudis me; sto & nō respicis me, mutatus es mihi in crudelem.*

Isaia 49. *Dixit Sion; dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus est mei.*

CONSIDERATIONES.

1. Punctū. DVM verus iustitiæ Sol deficere incipit, mox etiam corpora cælestia, & Sol iste visibilis, Lux illa mundi clarissima, auctori suo veluti compatiens, reducit & abscondo lucis suæ radios, nolens ad Creatoris iniuriam cuiquam seruire. Cùm enim deficeret & moreretur auctor vniuersitatis, apparebat etiam res omnes creatas cupere vnà cū illo deficere, & se illi mortis comites adiungere. Quo verò dolore nouo affecta est tū tristis Virgo Mater, cùm res videret sensus expertes, tristitiæ & compassionis signa edere: Solē obscuro se velo obtegentem, quasi oculos obligare, ne videret horrendū illud spectaculum: homines verò præditos ratione, tā impios & crudeles esse in ipsum Deum & Creatorē suum.

Considera, quomodo benedictus Iesus, circa horā nonam, cùm iam admodum

dum debilitatus & exhaustus esset, tum intolerabili clauorū dolore, quibus grauissimè affligebatur, tum copia sanguinis effusi, & sudoris perpetui, quem extremus ille dolor exprimere solet; cùm sacrum illud corpus, lethali frigore vndiq; diffuso, ita rigidum esset, vt vix regere aut attollere posset sanctum caput: cùm non inueniret neq; intus, neq; foris, qui aliqua in re sibi auxilio aut solatio esset: attollit moribundos ad cælum oculos, & cum multis lacrymis elata voce clamat, dicens: *Deus meus, Deus meus vt quid me dereliquisti? quare*, Pater Sãcte, *factus es mihi in crudelem?* Quare tu, qui nunquã deseris clamantes ad te, & sperantes in te; nunc me Filium tuum sic derelinquis, vt mori me sinas tamquam nõ essem Filius tuus sine vllo auxilio aut solatio, in extrema hac lucta? *Psal. 21. Iob. 30.*

Verbum hoc ideo voluit loqui Christus, quia cùm videret omnes admirari singularem illã patientiam & mansuetudinem, quam in tot cruciatibus & iurijs demonstrabat, ne putarent se carere iam sensu; sed vt intelligerent vexè illũ parte animi inferiore sentire maximos dolores, expressit hoc miserabili clamore intolerabiles suas pœnas. Nã Saluator noster, quod ad sensitiuã huma-

næ naturæ ſuæ partem attinet, nihil auxilij à ſuperiore parte accepit: ſed relicta fuit, vt pateretur, quantum pati poſſet, abſque vlla conſolatione, quæ derelictio grauior illi fuit omnibus reliquis ſupplicijs.

Chriſtus à Patre derelictus eſt, vt eam pœnam ſuſtineret, quã homo peccando meruerat. Cùm enim homo in Paradiſo reliquiſſet Creatorem ſuum, merebatur ſcilicet vt & ipſe ab eo relinqueretur. Conqueritur ergo Chriſtus noſtra, nõ ſua cauſſa, quia enim voluit nobis ſe coniungere, & deſponſare ſibi naturam humanam, relinquitur à Patre, quia voluit amplecti nos, cõfixit & ſauciauit ſe ſpinis peccatorum noſtrorum, atque ideò clamat, & queritur ſe derelictum, vt omnes intelligamus, ad quàm graues angores & calamitates, peccata illum noſtra, ipſiuſque in nos amor deduxerint. Deinde queritur cum Patre, non quod pœnas ſibi infligat, ſed quod non amplius ſuggerat ſibi vires, neque vitã proroget, vt pro amore noſtro plura maioraque ſuſtineat. Denique conqueritur de exiguo paſſionis ſuæ fructu: cùm enim eo tempore, tam copioſam offerret Patri ſatisfactionem, quæ vel mille mundis ad ſalutem ſufficeret, non

potuit

potuit tamen ad illud vsque tempus, quemquam, nisi vnum latronem sibi adiungere: neque relinquebat in toto orbe quenquam, cui in se perfecta esset fides, nisi vnicam fidelissimam parentem.

Virgo benedicta, quis tibi sensus tum fuit, quantus ad veterem nouus dolor accessit, cùm audires filium tuum sic derelictum à Patre, cui illũ toties commendaueras? Si à suo Patre, à quo solo expectari solatium poterat, derelinquitur, quis illi succurret? Omnes illum persequuntur, omnes lacessunt, & quia nihil amplius possunt manu, non cessant eum mordere & lacerare linguis, omnes amici & noti eius de longè stant, discipuli fugerunt & dispersi ab eo sunt. Tu sola fide perfecta & caritate astas Filio tuo: at non vt consoleris, sed vt dolorem nouum extremis addas doloribus. Non potes illi quicquam opis afferre, ne tangere quidem: vulnerare, & penetrare cor potes dolore præsentiæ tuæ.

O ingrata anima mea, contemplare in hac cruce Christũ, & ausculta, quàm iustam de te querelam inst tuat. O homo, inquiens, vide quæ pro te patiar, nõ est dolor, qui comparari possit cum dolore meo. Clamo ad te, ego, qui pro te

morior. Vide supplicia quibus crucior. Vide quibus affixus sim clauis. Vide lacrymas, quas pro te fundo. Vide spinas quibus compungor. Vide sputa & probra, quibus me inimici dedecorant. Et cùm tantus sit dolor, quem foris patior in corpore, grauior est fletus & dolor, qui intus me cruciat, cùm te mihi tam ingratum cognosco.

COLLOQVIVM.

ROGABIS Christum D. N. per illos angores, quibus afflicta est sanctissima eius anima, cùm ad Patrem clamaret, *Deus meus, Deus meus vt quid me dereliquisti*; efficiat in te per gratiam suam, vt in omnibus molestijs & angustijs, refugium semper cum certa fiducia ad ipsum habeas, neq; permittat, vt velut relictus & indignus sua misericordia reijciaris; sed exaudiat de cælo vocem tuam, vt ipso iuuante fructum possis ex tentationibus & rebus aduersis capere, ad gloriam Maiestatis ipsius & animæ tuæ salutem.

DOCVMENTA.

1. *CVM in periculum, aut difficultatem, aut certamen contra tentationes incidimus; non abijciendus aut demittendus est animus: sed per preces humiliter*

militer refugiendum ad Deum, quemadmodum & Christus confugit ad Patrem.

2. Neq; tum quidem turbari debemus, cùm subducta omni consolatione spiritus, aut cum tædio quodam & afflictione in seruitio Dei versantes, videmur ab ipso planè deserti. Idem enim Christo in cruce pati contigit.

3. Cùm Christus propius ad mortem accederet obscuratus est Sol, & factæ sunt tenebræ super terram: Sic quando mentis ardor incipit tepescere, & in ea deficere Spiritus CHRISTI, vita ipsius; obscuratur intelligentia; ipsa verò incurrit in tenebras peccatorum.

4. Si Filius Dei, in quo tantùm sibi complacuit æternus Pater, eò quod vnum esse nobiscum vellet, sic à Patre derelictus est; quid nobis erit, qui pleni sumus peccatis, si in morte non reperiamur vniti & coniuncti Christo?

5. Si amore nostri Christus, vt vnà nobiscũ esset, relinqui à Patre voluit: quidni & nos deseramus omnes huius mundi res, & nos ipsos, vt coniungamur, & semper cum Christo simus.

6. Vt Christus non cessauit Patri obedire, quamuis ab eo relictus: sic non decet nos quærere consolationes sensibiles, sed paratos esse absque consolatione illi

seruire, scientes eo tempore actiones nostras, etsi maiore cum labore & difficultate peragantur, plus mereri, quàm si cũ dulci animi sensu & consolatione peracta essent.

MEDITATIO QVADRAGESIMAQVINTA.

DE QVINTO CHRITI verbo in cruce: Sitio.

EVANGELIVM.

Ioan. 19. Matt. 27. Marc. 15.

POSTEA sciens Iesus, quia omnia consummata sunt, vt cõsummaretur Scriptura dicit: Sitio. Vas ergo positum erat aceto plenum. Et continuò currens vnus ex eis, acceptam spongiam impleuit aceto, & impositam arundini, & obtulit ori eius.

eius vt biberet, dicens: videamus an veniat Helias liberans eum.

FIGVRA.

SAMSON *ſtratis Philiſtæis, cum ſiti deficeret, conuertit ſe ad Dominum, dicens: Siti morior.* Iudic. 15.

PROPHETIÆ.

IN *ſiti mea potauerunt me aceto.* Pſal. 68.
Aruit tanquam teſta virtus mea, & lingua mea adhæſit faucibus meis, & in puluerem mortis deduxiſti me. Pſal. 21.

CONSIDERATIONES.

NATVRALE eſt ijs, qui vicini ſunt ad moriendum, vt acri ſiti laborent, quanta ergo ſiti laborauerit morti vicinus Ieſus benedictus, fons ille exſiccatus, per ſanguinem effuſum, per ſparſas lacrymas, tot fatigatus laboribus, neminem puto mente poſſe concipere: quando nec vlla res creata tantos dolores ſuſtinere potuiſſet. Quàm grauiter putamus illa voce, *Sitio*, vulneratum cor Virginis; cùm dilectum Dei & ſuum filium, in tantis anguſtijs mori videret, cùm audi- 1. Punctũ.

ret cum tam miserabili sono petere bibere; ipsi verò in mentem veniret, quanto gaudio & consolatione animi de suo pectore lac præbuerit, cùm modo vel gutta aquæ careat, qua sitis ardorem restinguat. Cogita quo dolore se ipsa confecerit, Filium alloquens: O dulcis fructus ventris mei, ô thesaure carissime cordi meo, quomodo te mihi sublatum video, vt te non possim tangere, & videns iam te mori in tantis angustijs, nõ possum quicquam opis afferre, ne aquæ quidem pauxillũ præbere, ad faucium siccitatem irrigandam? Fili mi, bibe me ipsam Matrem tuam liquefactam, & dissolutam dolore tuorum multitudine dolorum: bibe me totam in lacrymas conuersam, vt viua sim in corde tuo, & in me ipsa mortua.

Considera, quàm patienter tulerit Christus extremo illo tempore pauxillum aquæ sibi, ardenti siti leuandæ deesse, & sanè grauis erat molestia, tam necessaria refrigeratione carere; sed grauius multò, quod impij milites huius refrigerij loco, porrigerent id, quod cruciatũ & ludibria augeret, vt antea fel, ita nunc acetum. Ah miseram cænam, quam tibi, Domine mi, extremam in cruce parârunt peccata mea? Compatere anima

mea

mea Regi cælorũ, qui cùm tam largiter prouidiſſet rebus omnibus, tibi maximè ingratiſſimę, de omnibus ad ſuſtentationẽ neceſſarijs: ſibi ipſi nihil prouidit, ſed in ſumma egeſtate mori voluit.

Quomodo tantã ſitim fers bone IESV? quis te ſiccauit, fons aquæ viuæ? An nõ tu es ille qui clamabas: *Si quis ſitit, veniat ad me & bibat?* Aliorũ ſitim exſtinguis, tu ſiti moreris? Non tu es ille, q̃ Samaritanæ dicebas, habere te aquã viuã, è qua ſi quis biberet, nõ ſitiret in ęternũ? Sanè Domine mi; ſed voluiſti boni Pelicani inſtar, teipſum exhaurire, vt filijs opẽ ferres, & tua ſiti noſtrã exſtinguere. *Ioan. 7.* *Ioan. 4.*

Conſidera præter ſitim corporis aliam longè vehementiorem fuiſſe in animo Saluatoris noſtri, ardens videlicet deſiderium ſalutis noſtræ. Triginta tribus annis, benigniſſimus Ieſus laborauerat, fugitantes nos inſecutus erat; vocans nos, conciones inſtituerat vt reduceret nos ad viam ſalutis, & nunc extremo vitæ pænè momento feſſus & ſiti aridus, ſitire ſe clamat. Sitiebat vt nos illi auſcultaremus, & relictis peccatis ad ipſum conuerteremur: ſitiebat, vt nos ſitiremus virtutes, bona ſpiritualia, & fontẽ viuum cæleſtis gratiæ. Ieſu bone, habes ſpinas, quę tibi caput transfigant;

habes clauos, quibus manus pedesq; lacerentur, non dolet tibi crux, vulnerum obliuiſceris, de ſola ſiti cõquereris. Multò ſcilicet vehementius cruciabat te ſitis redemtionis noſtræ, quàm crux, quàm omnia corporis ſupplicia. Flãma amoris, Domine, intus accenderat viſcera tua, & fauces ſiccauerat. Hæc effecit, vt dum Iudęi cum Ethnicis, tuum ſanguinem ſitientes, mortem tibi afferunt, tu illorum ſalutẽ ſitiens tua morte vitam illis largiaris.

Ex hac ſiti ſalutis noſtræ, oriebatur in Chriſto tertia quædam ſitis pœnarũ & tormentorum. Cùm enim incredibili arderet deſiderio ſalutis noſtræ (quod excitabatur, tum ipſius erga nos infinito amore, tum gloria, quæ ex ſalute noſtra ad Patrem reditura erat,) videretq; homini per paſſionem, ſalutem reſtitui, per eandem glorificari Patrem: infinita ſiti ardebat patiendi. Itaq; cùm exiguas putaret pœnas adhuc toleratas, *Sitio*, clamabat, quaſi diceret: Pater quæ pro ſalute mundi mihi imperaſti, omnia perfeci, & iam me vita deficit. Optarem, ſi fieri poſſet in hac cruce pro tua gloria ſemper pendere. Exiguus eſt calix, quem dediſti mihi, ſi ad ſitim meam

Cant. 8. ſpectes, omnes aquæ & flumina pœnarum

num & cruciatuum non possunt eam exstinguere. Itaque Saluator pœnarum auidus & cruciatuum in cruce pendens: quemadmodum sponsa (vt est in Canticis) teneritudinem amoris sui volens exprimere dicebat: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo*: Sic ille sponsus, cupiens explicare vehementiam amoris sui, erga spōsam suam, humanam naturam, & ardens desiderium pro ipsa patiendi, videbatur dicere: *Fulcite me cruce, stipate me spinis & clauis, quia amore langueo.* Cant. 2.

COLLOQVIVM.

ROGABIS Christum D. N. per illum amorem, quo tui amore gustare voluit in cruce acerbam illam potionem, dignetur in cor tuum immittere ardentem amoris sui sitim, qua contemnens humanas omnes consolationes, sitias & desideres ipsum solum fontem aquæ viuæ, qui solus possit sitim tuam restinguere. Præterea vt gratiam tibi concedat, qua cupidè accipias & bibas ipsius amore calicem tribulationum, & rerum in hac vita aduersarum, sic planè, vt quæ amara sunt tibi, fiant dulcia; quę acerba, suauia. Sicut & ipsi dulce & suaue visum est, quicquid pro te in cruce perpessꝰ est.

DOCVMEMTA.

1. DEBEMVS & nos sitim Christi sitire, ardentes, zelo animarum & desiderio gloriæ Dei.

2. Si Christus cor nostrum sitit, curemus vipurum illud, sine alterius perturbationis aut amoris terreni admixtione, ei tradamus, ne à nobis, quemadmodum à Iudæis, acetum ei præbeatur.

3. Gustandi tantùm, id est ferendi sunt mores peruersi & dogmata falsorũ Christianorum: non bibendum, id est, imitandum, sicut Christus, cùm gustasset acetũ, noluit bibere.

4. Acetum dant Christo, qui egentib. pessima largiuntur, aut eos verbis asperè & inique excipiunt.

5. Mundo vinum bonum, Christo acetum dant, qui vt suas cupiditates satient, & hominum voluntates sibi conciliant, aut in honore vel lucro adipiscendo omnes curas cogitationesq; consumunt, non tempori, non labori parcentes. At in rebus ad salutem spectantibus tepidi sunt & negligentes, neque quicquam pati, neq; sumtus aut damni quicquam ferre sustinent.

6. Bona opera sua Christo in cuspide arundinea offert (vt milites spongiam aceto plenam obtulerunt) qui in ijs hominum gloriam & mundi honores spectat.

7. Si

7. *Si quando contingat nos famem & sitim pati, gaudeamus, quod aliqua se nobis imitandi Christi offerat occasio, qui hæc ipsa pro nobis passus est in cruce.*

MEDITATIO QVADRAGESIMA-SEXTA.

DE SEXTO CHRISTI VERBO: *Consummatum est.*

EVANGELIVM.

CVM ergo accepisset Iesus acetum, dixit: Consummatum est. *Ioan. 19.*

FIGVRA.

COMPLEVIT Deus die septimo opus suum, quod fecerat. *Gen. 2.*

PROPHETIÆ.

SEPTVAGINTA Hebdomades abbreuiatæ sunt super populum meum, & super vrbem sanctam tuam, vt consummetur prævaricatio. *Dan. 9.*

Con-

Isaiæ 10. *Consummationem & abbreuiationem Dominus exercituum fecit in medio omnis terræ.*

Ibid. *Adhuc paululum modicum, & consummabitur indignatio, & furor meus super scelus eorum.*

CONSIDERATIONES.

2. Punctū. VIDENS Iesus absoluta iam omnia sacræ passionis mysteria, neque supereſſe aliud, nisi vt in manus Patris spiritum redderet, agens gratias ait: *Consummatum est.* quasi diceret: Gratias tibi maximas ago, Pater mi, quod tuo auxilio opus hoc redemptionis humanæ, tam arduum & vtile, ad finem vsq; perduxerim. Quàm dignum laude est verbum hoc! quàm nobis salutis & gaudij plenum! Quicquid enim à Prophetis scriptum; per figuras testamenti veteris præsignificatum; à voluntate æterni Patris prequisum & decretum; quicquid denique ad redemptionem nostram opus fuerat, id totum Iesus Redemptor noster obedientiâ perfectissimâ impleuit, & consummauit: nec dubium est, quin hoc verbum pronuncians Dominus simul contrarijs motibus doloris & gaudij sit affectus. Gaudij quod patris obedien-

dientiam expleuisset; quod anxio desiderio satisfeciſſet (à quo tantopere cruciabatur) baptismi illius, quo pro nobis in sanguine suo erat baptizandus; quod implesset illa ineffabilia desideria colliũ æternorum (antiquorum Patrum) qui ipsius aduentum tam cupidè exspectabant. Doloris habuit sensum, quòd inter hoc verbum animo collegit, quasi per capita in compendium; omnes calamitates & afflictiones, quas per totam vitam nostra causſa pertulerat, easque vniuersas simul pro satisfactione peccatorum nostrorum obtulit. Augebat huius verbi dolorem, quod cùm sciret iam nunc mortem imminere (quæ omnibus pœnis longe horribilior & acerbior est) non exiguos dolores & angores ex præsentia mortis persenserit.

Verè Domine mortis tuæ momento *consummata sunt omnia*. Neque enim cessarunt tãtùm antiquæ figuræ & Prophetiæ, sed in tuo etiam corpore finis fuit vexationum omnium, probrorum, peregrinationum, & laborum, cessarunt afflictiones, fames, sitis, lassitudo, flagella, spinæ, sputa, lacrymæ, claui, denique dolores omnes externi internique. Fuerunt & omnia consummata, quia in sacro corpore tuo, nullum relictum est mem-

membrum integrum, quod non ſuo cruciaretur dolore. Caput confixum ſpinis, capilli euulſi, facies deformata colaphis & ſputis, aures infinitis blaſphemijs & calumnijs vexatæ, manus & pedes transfoſſi clauis; corpus totum flagellis & verberibus laceratum & diuulſum, lingua amaritudine horribili fellis & aceti infecta; ſanguis denique exhauſtus vniuerſus; vita abſoluta & conſummata.

Voluit & Dominus hoc verbo *Conſummatum eſt* docere nos, magnum illud opus propter quod de cælo in terras
Dan 9. venerat, ſe expleuiſſe. Conſummauerat
Iſaiæ 25. præuaricationē antiquā, finem poſuerat peccato, ſoluerat firmiſſimos laqueos, quibus vincti captiq; omnes populi
Ibidem. tenebantur, diſſoluit rete illud mortis, quod ab orbe condito texi cœperat ſupra omnes nat ones: deniq; præcipitauit
Gen 3. mortem, & contriuit caput antiqui & crudeliſſimi aduerſarij noſtri, cùm in illum retorqueret tela omnia, in ſuū corpus immiſſa, prorſus vt quicquid Chriſtus per ſe pateretur, rediret in damnum & pernicie Diaboli; armaq; quibus per miniſtros malitioſè idem vtebatur ad necem Chriſti, ea omnia in ſuam ipſius pœnam & exitium verterentur.

Denique

Deniq; hoc etiam Dominus his verbis indicauit, absolutum à se iam, extremamq; manum apposiram, speculo illi clarissimo & exemplari virrutis; puteo quoque viuentis aquæ & fontibus illis *Gen. 4.* purissimis, vnde cũ lætitia haurire possemus aquam salutis, & omnis generis *Isaiæ 21.* virtutum exempla, perfectissimes scilicet, quæ in sanctissima vita & passione Saluatoris mirè elucent: vt sunt, perfectissima obedientia, profunda demissio animi, paupertas voluntaria, inexplicabilis castitas & puritas, mirabilis patientia, constans perseuerantia, denique infinita quędam caritas, & quę nobis erat maximè necessaria, inexhausta benignitas & misericordia.

Considera quantum doloris accesserit Matri, cùm dilectum filium suum dicere audiret, iam se vitæ finem esse facturum. Itaque oculis lachrymantibus ad illum conuersa, & in facie videns signa imminentis mortis, cùm magno animi dolore dicebat: Tibi quidem bene est, quod omnia consummata sint, cum vita enim simul finem accipient molestiæ omnes: at mihi miseræ renouantur, & de integro incipiunt dolores mei. Quàm mihi iucundum esset, si ita tibi videretur, vt me tecum vna ex hac

vita

vita tolleres ; quando etiam nunc sine me discedens, tecum aufers cor meum, & vitam meam ! Relinquor enim sola sine Filio, qui mihi, mea vita multo est carior.

COLLOQVIVM.

ROGABIS Christum D.N. per illum amorem, quo opus redemptionis nostræ ex obedientia Patris susceptum, tantis laboribus prosecutus, tantis doloribus & vexationibus consummauit, & ad finem perduxit; det tibi gratiam, qua perfectè obedias diuinis eius mandatis, omniaque quæ vel facere vel pati in hac vita, dum ipsius Maiest. seruis, contigerit; constanter feras. Vt cùm mors tibi aduenerit, bene tibi conscius possis dicere. Consummasse te, & integrè præstitisse, quæ Dominus imperauerit, vt dignus sis videre faciem eius, & tanquam seruus fidelis, in gloriam æternam introduci.

DOCVMENTA.

1. *IMpendenda planè sunt omnia diuino obsequio, in eoq; omnia absoluenda, in hoc vnum, omne tempus, omnes fortunæ conferenda, immò & nosipsi, & omnia nostra;*

nostra non secus ac Christus ipse salutis nostræ procurandæ, se totum impendit, omniáq; cumulatissimè perfecit.

2. *Nemo se speret ingressurum cũ Christo in gloriam, nisi ad finem inueniatur perfectè cum ipso consummasse. Laboremus igitur, vt caritatis igne consummemus imperfectiones in hac vita: ne pœnarum igne consumemur in altera.*

3. *Christus Dominus mansit in Cruce, donec consummasset omnia. Beata anima, quæ constanter in bono proposito ad finem vsq; perseuerans, cum B Paulo in extremis potest dicere:* Cursum consummaui, fidem seruaui Domino meo. 2. Tim. 4.

4. *Hoc verbo* Consummatũ est, *Christus indicauit, tantum se feciſſe amore nostri, quantum facere potuerit. Decet ergo, vt & nos, si Christum amamus, liberaliter nos illi donemus, & integrè, nec quicquam nobis retineamus, quemadmodum & ipse largus in nos fuit.*

5. *Principia & exitus actionum omniũ Christo sunt consecrandi, sicut ipse amore nostri cœpit & consummauit opus redemtionis nostræ.*

MEDITATIO QVADRAGESIMASEPTIMA.

DE MORTE CHRISTI, DEque extremo verbo, quod moriens locutus est.

EVANGELIVM.

Matt.27. Marc.15. Luc.23. Ioan.19.

ET clamans voce magna Iesus ait: Pater in manus tuas commendo Spiritum meum. Et hæc dicens, inclinato capite tradidit Spiritum.

FIGVRA.

Gen.4. ABEL *iustus innocenter occisus est ex inuidia, à fratre Cain.*

PROPHETIÆ.

Psal.30. IN *manus tuas cõmendo spiritũ meum.*

Isaia 53. *Tradidit in mortẽ animam suam.*

Dan.9. *Post hebdomatas sexaginto duas occidetur Christus.*

Isaia 53. *Abscissus est de terra viuentium, propter scelus populi mei percussi eum.*

CON-

CONSIDERATIONES.

CONSIDERA quomodo Saluator noſter, cùm iam perfeciſſet opus ſibi commiſſum, & obedientiam Patris impleſſet, accedens iam prope ad terminum vitæ, exinanitis venis, tanta ſanguinis profuſione, omnibus viribus deficere cœperit. Clariſſima illa oculorum lumina claudebantur, & offuſcabantur: facies illa eximia, nouo & mortis indice pallore exalbeſcebat, denique membra omnia ſigna manifeſta & mortis indicia prodebant. Cogita, eo temporis momento, apertos eſſe cælorum orbes, & legiones Angelorum deſcendiſſe, vt adſiſterent, & comites ſe præberent victrici animæ Chriſti. Par erat enim, vt æternus Pater eximio honore extrema Filij proſequeretur, & exercitus Angelorum illi morienti aſtarent, quem celeſtis tota Hierarchia veneratur & adorat. Quod ſi res ſenſu carentes, terra, & ſaxa in morte ſaluatoris manifeſtiſſima prodiderant doloris indicia; longe credibilius eſt Angelos pacis, ſuo quodam modo triſtitiam contraxiſſe, & amarè fleuiſſe, cùm viderent Dominum & Deum ſuum, cum extremis mortis angoribus conflictari. *Iſaiæ 33.*

1. Punctũ.

Vt

Vt igitur momentum illud temporis aduenit, quod ab æterno delectum & præfixum fuerat, benignus Iesus caput inclinat, versus tristem Matrē, quasi qui illi extremum Salue & Vale dicere, ab ipsa vicissim accipere, atque illi lacerum suum corpus commendare vellet. Deinde attollens sursum caput, & languentes oculos ad Patrem dirigens, elata & clara voce clamat: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*: quod cùm dixisset, inclinato capite emisit spiritum. Clamat Saluator elata voce, adiungens clamori lachrymas, vt exoret Patrem, vti nostra omnium animas sibi commendatas esse velit, quas ille vnà cum suo spiritu tradat. Clamat alta voce, vt toto orbe exaudiri possit, & corda omnium mortalium ad se attraheret. Clamat vt inferos horribili hac voce perterrefaciat, vt aliquando restituant eos, quos tot sæculis habuerunt captiuos. Clamat denique, in signum victoriæ, quàm crucis ligno, à morte & antiquo aduersario reportarat.

Submittit Saluator noster caput, vt indicet quàm graue sit onus peccatorū nostrorum, quod sibi ipse imposuit. Demittit caput, vt indignem suam paupertatem ostendat, vt qui in morte non habens

bens, locum, vbi caput reclinaret, pẽdulũ sinit esse, in aere. Demittit itẽ caput, vt nobis exemplum præbeat dimissionis animi, simul vt indicium daret, se vt per obedientiã in mundum venerat, per eãdem nunc mortẽ sponte excipere. Deniq; caput demisit, vt osculum pacis nobis offerret, quod cum tantis suis laboribus & miserijs impetrârat à Patre.

Considera, quæ fuerit illa tristitia, illa angustia, quis cruciatus, cum nobilissima anima coacta fuit à iucunda societate sanctissimi corporis discedere, cũ pura & innocens columba egressa est è sancta illa Arca, & dissolutus est nodus ille pulcerrimus, olim à Spiritu sancto connexus: Quàm inter se inuiti separabantur, inter quos nulla vnquam fuerat discordia, uulla contentio, nulla dissensio, sed semper pax summa, summ' amor, summa coniunctio. Compatere, anima, Domino tuo, in extremis angustijs. Vide vt facies illa gratiosissima iam tota paleſcat, vt diuini oculi & lumina, stellis firmamenti similia incipiant eclipsin pati; vt deficiant, & lacrymas spargant; vt sacrum caput ad terram inclinet: deniq; vt omnia membra vicinam mortẽ, denuncient, & indicẽt ardentissimũ illius in te amorem. Defecit, anima mea, gaudium

Thren.5. cordis nostri, cecidit corona capitis nostri; *Cant.5.* Dilectus tuus abijt & elongatus est à te. Bonus pastor noster postquam posuit animam suam pro ouibus suis abijt. *Luc.10.* Verus noster Samaritanus, post quam oleo & vino misericordiæ & caritatis vulnera nostra curauit, & pro nostra salute precium sanguinis sui deposuit, procul à nobis factus est,

Age nunc, anima mea, si vllum habes signum grati animi, aut vllum pietatis vestigium, dolorem concipe, & defle crudelem, Redemtoris tui mortem: defle cædem Agni immaculati, quia pro te occisus est, pro te cruciatus, tantos sustinuit. Peccata tua illum in has calamitates & angustias redegerũt, vt te confirmaret, se infirmum fecit, ex suo sanguine tibi balneum apparauit, quo lauaret & sanaret insanabilem lepram. Vide quantum te amauerit, qui vt te honore afficeret, seipsum ignominia affecit, vt te consolaretur, seipsum afflixit; vt tibi ignosceret, tua peccata sibi assumpsit, & in seipso illa puniuit, O bonitas, quæ animo concipi non potest! Quis vnquam audiuit eum qui offensus erat, sibi pœnam irrogare, & se pro sacrificio offerre, vt inimico suo culpa ignoscatur.

Cogita,

Cogita, quem dolorem ceperit, & quo animo fuerit desolata Mater, vbi vidit vnicum bonum & solatium cordis sui iam expirasse, & mortuum de cruce pendere, quàm profundè clamor & lacrymæ, cum quibus vnigenitus ipsius Patri reddiderat spiritum, amātissimam illius animam penetrauerant. Videres tum recrudescere dolores, & manare ex oculis flumina lacrymarum. Mater sanè, cùm vehementia dolorum, voces in verba formare non posset; intra se frequenter cum maternis gemitibus illa repetebat. Fili mi IESV, IESV fili mi, quis mihi det vt moriar tecum: atq; hæc dum tacita secum loqueretur, aliud dicere non valens, stabat amplexās crucis stipitem, & se totam sanguine Filij madefaciens. Amore certè & dolore, in eadem cruce cum Filio affixa erat, & in ipsum ita conuersa, vt iam non ipsa in se, sed in solo Christo dilecto suo viueret, & ipse vicissim in illa.

COLLOQVIVM.

PRAECABERIS Christum D. N. vt sicut ipse moriēs, spiritum in manus Patris commēdauit, tibi quoq; gratiam concedat, vt in hac vita cū ipso moriaris spiritualiter mortificans affectus tuos,

& abducens amorem ab omnibus creatis rebus: vt mortis tempore pro sua misericordia dignetur sanctissimis manibus excipere, & commendatam sibi habere animam tuam, quam in Cruce vnà cum sua anima commendauit ipse æterno Patri.

DOCVMENTA.

1. CHRISTVS D. N. *nudus voluit mori in cruce, sic nobis curandum est, vt cùm ad mortem ventum erit, omnium rerũ amore nudi reperiamur, item vt optemus, exemplo ipsius cum dolore & cruciatibus mori, atq; adeo illius amore sanguinem profundere, quod idem ipse pro nobis præstitit.*

2. *Si Filius Dei ipso mortis articulo, tãta orationis instantia, tot lacrymis Patri se commendauit: nemo, quacunq; iustitia & sanctitate præditus, sine cura esse debet: sed cum timore vitam agens paratus esse ad tentationes; cõfugiens, quod Christus fecit, ad diuinum præsidium.*

3. *Curemus, vt in vita simus Filij supremi Patris, id est, abnegemus amore ipsius voluntatem omnem nostram, & in ipsius præceptis absolutè obseruandis omnem laborem collocemus, vt morituri fidenter possimus illum appellare Patrem, & Spiritum nostrũ in manus ipsius commendare.*

4. Christus

4. *Christus moriens inclinauit caput, vt seruos suos doceret, quemadmodum ipse iubente Patre passionẽ & mortem exceperit: sic & ipsis, ex Superiorum mandatis, subeundas quasuis difficultates, & quibusuis se periculis, etiam vitæ exponendum.*

5. *Si mortis tempore preces nostras audiri desideramus, vt Spiritus noster in manus Patris æterni perueniat: laboremusne alium habeamus spiritum, quam Christus Filius ipsius, qui cùm esset illi gratissimus, non potuit non illum suscipere.*

6. *Commendanda est anima & spiritus in manus Patris Spiritualis, illiq; amori Christi præstanda obedientia: quemadmodum & ipse obediens fuit, & Spiritum in manus Patris commendauit.*

MEDITATIO QVADRAGESIMA OCTAVA.

DE REBVS, QVAE POST mortem Saluatoris secuta sunt.

EVANGELIVM.

Matt. 27. Marc. 15. Luc. 23.

Ecce velum templi scissũ est in duas partes, à summo vsque deorsũ. Et terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum surrexerunt. Idcirco Centurio visis his dixit: Verè hic homo filius Dei erat. Similiter & qui cum eo erant viso terræ motu, & his quæ fiebãt timuerũnt valdè, dicentes. Verè hic filius Dei erat: & omnis turba eorum qui simul aderãt ad spectaculum illud, & videbant quæ fiebant, percutientes

tes pectora sua, reuertebantur. Stabant autem omnes noti eius à longè, & mulieres quæ sequutæ eũ erãt de longè hæc adspicientes. Inter quas erat Maria Magdalena, & Maria Iacobi, & aliæ multæ, quæ simul ascenderant Hierosolymam.

PROPHETIAE.

Et erit in illa die, dicit Dominus, occidet Sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis. Amos 8.

Et erit in illa die, non erit lux, sed frigus & gelu, & erit dies vna quæ nota est Domino, non dies, neque nox, & in tempore vesperi erit lux. Zach. 14.

Luctum vnigeniti fac tibi, & planctum amarum. Hier. 6.

CONSIDERATIONES.

CONSIDERA quomodo Creatori in cruce suspenso, omnes creaturæ congemiscunt. Optimè autem cõcõueniebat, vt hoc testimonio factorem suum agnosceret mundus, cùm illo vitę finẽ faciente, omnes simul res deficere velle viderentur. Tum apparuit, quàm vera esset sentẽtia illa Saluatoris, cùm Iudæis petentibus silẽtium turbis, indici, 1. Punctũ.

me clamarēt, *Benedictus qui venit in nomine Domini*: respondit, ijs tacentibus lapides clamaturos, id quod in morte iā euenit. Hominibus enim metu tacentibus, neq; illū confiteri audentibus, saxa clamant, & diruptione sua testimonium phibēt, ipsius humanitati & diuinitati.

Vide, homo miser, quis sit ille, qui pendet in cruce, cuius morte præ tristitia obscuratur cælum, tremit horrore terra, saxa dolore dissiliunt, & qui remittit sua morte mortuos vitæ. Heu mihi! omnes creaturæ etiam sensu carentes compatiuntur Redemtori; & tu solus miserabilis, cuius causa Christus passus est, misericordia inter omnes non moueris? Ascendit in sublimem stipitem Christus, vt videretur ab omnibus; exclamauit alta voce, vt à toto orbe exaudiretur, addidit clamori lacrymas vt homines sibi compaterentur, & compungerentur. Si igitur anima mea his vocibus & lacrymis, dulcis tui Iesu, nō commoueris, neque animo emolliris: grauior es terra, saxis durior, fœdior fætentibus sepulcris.

Non est mirum, si Domino morente, tota mundi machina obscuratur, & obducitur tenebris; clausi enim clarissimi oculi, qui cælū illuminant, & obscu-

ratus

natus est Sol iustitiæ, qui erat lux mundi. O diuinitatis organum, ò psalterium & cythara veri Dauidis, quis tibi tam crudeli morte sonum abstulit? O dulcissimum pectus: armarium sapientiæ diuinæ, vnde processit olim diuinus & vitalis ille Spiritus, quem tu homini inspirasti: at homo vicissim sanctissimam & viuificam inspirationem tibi abstulit. O manus sanctissimæ, quæ totum orbem sustinetis, quæ contactu vestro lepram purgabatis, infirmitates omnes sanabatis: quis ille fuit tam ingratus, qui vos in hanc crucem affixit? O pedes sancti, qui directis passibus electis vestris iter certũ demonstrastis ad cælum quis viam vestram impediuit, & tam crudeliter acerbo hoc confixit patibulo? O Virginea caro, speciosissimi præ filijs hominum: quis tam immaniter te lacerauit, & tuomet sanguine commaculauit. O dulcis Ierusalem, quæ olim appellata es Ciuitas sancta, plange amarè quia facta es ciuitas latronum. Plange & tu, anima mea; etsi enim non interfuisti, cùm crucifigeretur Dominus, tamen peccatorũ tuorum caussa crucifixus est.

O quantum doloris accessit piæ Matri quando creatura omnes dolere vidit, & contristari in morte Filij, tunc pro-

fectò cor Marię præ ſummo dolore, fletuque inſtar cerę liquefactū fuit, aliudque nihil in eo impreſſum quàm mortui filij effigies: O quantos doloris ſtimulos in anima ſentiebat, quando pium illum vultum emortuum, & è cruce pẽdentem contemplata, ex mœrore & afflictione iebat. O crux in Creatorem tuum crudeliſsima, quomodo mortem inferre auſa fuiſti auctori, & largitori vitæ? & vos claui impij, creaturæ iſtius, qui per vulnera veſtra mortu⁹ eſt: quomodo potuiſtis diuiniſsimam illam carnem, virtute ſpiritus Sancti in me conceptam perforare? O vos acerbæ ſpinę, non ideo creatæ eſtis, vt caput Creatoris veſtri transfigeretis? quare ergo pro illius reuerentia vt petræ fecerunt, veſtram non mutaſtis naturam? Et tu, ô alta crux, quandoquidem digna fuiſti Regem cælorum ſuſtinere, erga deſolatam hanc matrem miſericordia mouearis, inclina pauliſper altitudinem tuorum brachiorum, demitte te vnà cum membris dilectiſsimi filij mei, vt illum, qui per te à me eſt ablatus, ſaltem nunc ita mortuum tangere & amplecti poſsim.

COL-

COLLOQVIVM.

ROGABIS B. Virginem, quam etsi propter mortem benedicti Filij totam afflictam conspicias nihilominus postquam Filius ipse tibi eam in matrē dedit & reliquit, vt in doloribus tui recordari, & apud Filium pro te intercedere velit, vt sicut in morte filij petræ scindebantur, terra tremore concutiebatur, ita velit emollire & perfringere sancta contritione duritiem cordis tui, vt pariter cum illa acerbam passionem defleas, maximè verò, quod peccata tua illi causſam dederint:

DOCVMEMTA.

1. *CHRISTO Domino cor nostrum aperire, eiq; in amore & veritate seruire debemus, vt sicut ille scindens velum timoris & vmbrarum veteris legis Sanctuarium aperuit; sic nobis Thesauros suos aperiat, & secretorum cælestium faciat participes.*

2. *In morte Christi terra tremuit, petræ scissæ, mortui resuscitati sunt. Si nos, qui operibus nostris Christum crucifximus, vera contritione de peccatis non dolemus, nec intimo amore acerbissimis illius pœnis compatimur, nec tremendū iu-*

dicij diem timemus; petris sumus duriores, terra insensibiliores, ipsis mortuis mortui magis.

3. *Tunc cum turbis crucifigẽtibus Christum, confitemur illum Dei filium, & percutientes pectora nostra Ieroſolymam redimus, quando de commiſſis peccatis dolemus, eaq; confitemur, vitamq; noſtram emendamus.*

4. *Interim dum omnia proſperè Iudæis ſuccedebant, magis contra Chriſtum ſeuiebant. At quando Sol obſcurabatur, quãdo terra tremebat, tũc caſum ſuũ animaduertebãt, pectoraq; percutientes, cõfiteri eum incipiebant, quem ante ſpreuerant. O quanto aduerſitas vtilior eſt proſperitate, tribũlatio conſolatione: quando à Deo flagellamur, duriterq; cum aſperitate tractamur, tunc maiorem nobis exhibet miſericordiam, quam quando tolerat diſſimulatq; imperfectiones noſtras.*

5. *Amici & noti Chriſti, in morte ſtabant à longè: Spernamus mundum fallacem & deceptorẽ, appropinquemus Chriſto vero & fideli amico: quandoquidem de mundo legitur, eum in periculis neceſſitatibuſq; ſuos deſerere, & à longè ſtare: ſed de Chriſto ſcriptum eſt, quod nobiſcum ſit in tribulatione, nos adiuuet.*

Pſalm. 9.

adiuuet, nos eripiat. Illi stant lõgè à Christo, qui mortificationem & aliquid pro Christo pati refugiunt, qui se à vita aspera, crucisq; via retrahunt, & abducunt.

MEDITATIO QVADRAGESIMANONA.

EVANGELIVM.

IVDAEI ergo quoniam parasceue erat, vt non remanerent in cruce corpora Sabbato, rogauerunt Pilatum, vt frangerentur eorũ crura, & tollerentur. Venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius qui crucifixus erat cum eo. Ad Iesum autem cùm venissent, vt viderunt eũ iam mortuum, non fregerunt eius crura. Sed vnus militum lancea latus eius aperuit. *Ioan. 19.*

& continuò exiuit sanguis & aqua.

FIGVRAE.

Exod. 12. IN *lege præcepit Deus, ne agni Paschalis ossa frangerentur.*

Num. 20. *Cùm Moyses virga percuteret silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ.*

Gen. 2. *Cùm obdormisset Adam, tulit Deus vnam de costis eius, & formauit Euam.*

PROPHETIÆ.

Zach. 12. ASPICIENT *ad me quem confixerunt.*

Psal. 68. *Quem percussisti persecuti sunt, & super dolorem vulnerũ meorũ addiderunt.*

Iob. 16. *Circumdedit me lanceis suis: conuulnerauit lumbos meos: conscidit me vulnere super vulnus.*

CONSIDERATIONES.

1. Punctũ. CONSIDERA, quo modo cùm crudelis illa lancea perfoderet mundissimum Saluatoris pectus, crux vehementi ictu concussu contremuit, profluxitque ex lato illo vulnere sanguis & aqua, quatotius mundi peccata abluuntur; siquidẽ ex profundo illo fonte cor-

dis

dis Iesu Sacramenta emanarunt, quæ dignè suscipientibus fiunt venæ aquarũ viuentium, perducentes eos ad vitam æternam. O benedicte Iesu; non satis fuit te tantas in vita sustinuisse pœnas, & ex immenso amore tam largiter ex visceribus omnibus profudisse sanguinem; nisi etiam post mortem lancea pectus perfoderet, intima cordis penetraret, & tantillum quod adhuc restabat sanguinis, inde educeret, idque vt amor tuus erga nos fieret manifestior, & redemtio esset copiosior. Voluisti quoque cor tuum vulnerari, vt quia nos in omnibus corporis nostri partibus exterioribus & interioribus Creatorem offenderamus, tu redemtor noster, per omnia & in omnibus patiens, diuinæ iustitiæ pro nobis satisfaceres. Latus quoque aperiri voluisti, vt vulnere illo visibili amoris vulnus ostenderes inuisibile, quo cor saucium habebas. Et quomodo aliter amorem istum erga nos potuisti demonstrare, quam cùm permisisti vt lancea illa non corpus tantum perfoderet, sed & cor ipsum vulneraret.

Addebant impij illi persecutores Saluatori vulnera vulneribus. Addebant afflictæ matri dolorem dolori; nam præter supplicium, quod in passione Filij tolera-

tolerauerat; præter luctum fletumque, quē produxerat in morte; præter anxietates, anguſtiasque, quas ſuſtinuerat, quod ab omnibus fuiſſet derelicta & deſolata, ac ſi hæc omnia tormenta & pœnæ exigui momenti fuiſſent: ecce apparatus nouus, & præcedentibus calamitatibus nō minor, qui & Filio nouæ iniuriæ, & piæ matri fuit cauſſa noui doloris. Sed ô benedicta Virgo claude pios tuos oculos, crudelem iſtā ne conſpicias lanceam, quæ ad transfigendum Filij tui latus eſt præparata, imò quæ venit vt tibi vulnus crudele infligat: nam ictus ille iam mortuum nō ferit, ſed corpus tuum, quod in mortuo viuebat.

O Maria regina Martyrum, paulo ante ſpinas, clauos, crucem illius deſiderat, at tibi non debebantur iſta, tametſi Filij tui corpus excarnificarent, ſola hæc lancea tibi reſeruata eſt. O truculenti miniſtri, ô ſæua, & crudelia corda, adeò exigua viſa fuêre illa tormenta, quæ vnum Ieſu corpus ſuſtinuit, vt non pareretis illi, etiam poſt mortem. Non ſatis vobis fuit confixiſſe Filium, etiam configere vultis & Matrem. Voluit benedictus Ieſus hunc ictum ſibi matriq; eſſe communem, ſuſcipiendo nimirum iniuriam transfixionis in perſonā propriam,

priam, dolorē verò vulneris in Matrem transferendo, fuit quippe lancea hæc iniuriosa, gladius ille, de quo olim Simeon vaticinatus est, qui animam Virginis erat pertransiturus. Nam cùm transfigeretur emortui Filij pectus, cor Matris pariter transfigebatur, quod in mortui Filij pectore viuum reperiebatur, siquidem cor animaque Mariæ, magis erat in Filio, quē ardentissimè diligebat, quàm in seipsa.

Considera scripturam non dicere, latus Saluatoris fuisse lancea vulneratum: sed apertum, vt intelligeremus Saluatorem nobis aperuisse vitæ portam, quare etiā exiuit sanguis & aqua, sanguis quidem in redemtionis pretium, aqua in figuram baptismi, quo abluerēmur à macula peccati originalis. Hic est ille fons, de quo ait Propheta. *In die illa erit patens fons Dauid, & habitantibus Hierusalem in ablutione peccatoris, & menstrua.* Erit in diebus illis fons, non sicut antiquis diebus, fons signatus & clausus, sed fons apertus, ex quo fluent non solùm aquæ, quæ immunditiem nostrā abluant, sed & sanguis in medicinam & remedium infirmitatis nostræ: O mi dulcis Iesu, quid potuisti dare amplius? aut quid amplius nobis præstare, quod *Zach. 13.*

non præstitisti? Thesaurum diuinitatis nobis dedisti per incarnationis mysterium, dedisti nobis corpus per acerbam passionem, dedisti nobis sanguinem per tot plagas & vulnera, dedisti nobis animam tuam sanctam per mortem, denique dedisti etiam, & aperuisti nobis cor, vt in illo, tanquam in thalamo nuptiali, instar sponsæ electę, & tibi plurimum dilectæ, suauiter dormiremus & quiescceremus.

Considera, quomodo Saluator voluerit aperiri cor suum, vt nobis in eo esset refrigerij locus in tentationibus, solatium in afflictionibus, securitas in aduersitatibus, refugium in periculis, & suis amatoribus dulcissima & suauissima quies. O precioſissimum lateris vulnus non ferrea lancea, sed telo amoris, quo erga animas nostras ferebaris, transfixum. O porta cæli, fons paradisi. O cauerna diuinæ illius maceriæ, in qua puræ illæ simplicesque columbæ, animæ scilicet electorum nidificant, & dulciter quiescunt. O ostium ouilis Domini, per quod qui ingreditur saluatur, & ingrediendo & egrediendo pascua fertilissima inuenit. Aperi ô dulcis Iesu, etiam animæ meæ, sanctam istam portam, & per istam cõcede mihi transitum, in cel-

Cant. 2.

Hier. 49.
Ioan. 12.

lam

lam istam vinariam, ad amoris tui viscera, vt etiam ex dulcissimo illo fonte bibam, & inebriatus preciosissimo illo liquore, ibidem obdormiat anima mea, dicendo cũ Propheta. *Hæc requies mea in sæculum sæculi; Hic habitabo, quoniam elegi eam.* Psal. 131.

COLLOQVIVM.

ROGA Christum D. N. per ardentissimã caritatem, qua ad amorem suum in nos ostẽdum, voluit cor suum aperiri, indeque sanguinem in pretium salutis nostræ profluere: vt dignetur transfigere & inflãmare cor tuum, sanctissimo suo amore, & suscipere te intus in pectus omni amore plenum, vt in eo melius quàm in arca Noe, possis transire diluuium periculosum huius mundi.

DOCVMENTA.

1. *POSTEAQVAM cum Christo, mundo sumus mortui, desideremus habere cor vulneratũ diuino amore ipsius, & vera in proximum caritate, quemadmodũ ille amore nostri vulnerari voluit.*

2. *Tunc cum Longino, iniuriam lateri Christi inferimus, quando indignè ad Sacramenta accedimus, quæ ex latere ipsius habuêre principium.*

3. *Illi cor Christi vulnerant, qui aut verbis*

bis aut malo exemplo, causſam prabent peccati illis, pro quorum amore Chriſtus mortuus eſt.

4. *Chriſtus amore noſtri, non tantùm vulnerari voluit in manibus, pedibus, & in toto corpore, ſed etiam in ipſis præcordijs. Ita nos amore ipſius debemus non ſolùm operibus exterioribus, ſed corde etiam, id eſt, bonæ voluntate & rectæ intentione, illi ſeruire.*

5. *Tunc Religioſi homines, integra conſeruant & oſſa Chriſti nõ frangunt, quando integram ſuis ſuperioribus præſtãt obedientiam, non tantùm executione externa, verùm etiam voluntate & iudicio.*

MEDI-

MEDITATIO QVINQVAGESIMA.

DE CHRISTI A CRVCE depositione.

EVANGELIVM.

CVM autem sero factũ esset, quia parasceue erat, venit quidã homo diues ab Arimathia ciuitate Iudææ, nomine Ioseph, vir bonus & iustus, qui & ipse discipulus erat Iesu; occultus autem propter metũ Iudæorum. Hic audacter introiuit ad Pilatum, & petijt corpus Iesu. Pilatus autem cùm cognouisset iam obijsse, donauit corpus, & iussit reddi Iosepho. Qui mercatus sindonem, venit, & tulit corpus Iesu. *Matt. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 19.*

FIGVRA.

AARON cõpletis hostijs pro peccato, *Leuit. 9.*

cato, & holocaustis & pacificis descendit.

CONSIDERATIONES.

1. Punctũ. CONSIDERA, quomodo afflicta mater, simul cum alijs deuotis mulieribus amicisque Saluatoris, apud crucem p. manserit, tam propter dolorem acerbæ passionis, & mortis, quam quod iã nox ingrueret, nec videret modum, quomodo deponere & sepulturæ mandare posset Sanctissimũ corpus: Verùm Dominus, qui deesse nõ potest illis, qui sui causſa affliguntur; inspirauit Iosepho, homini iust., & verè bono, (quia dignus fuit, cui Dominus talem faceret gratiam,) hic etsi propter metũ Iudæorum occultus esset discipulus, nihilominus virtute sanguinis Christi confortatus, omni humano timore depositio, audacter ad Pilatum ingressus est: & postquam dono obtinuisset thesaurũ istum inæstimabilem, venit, & magna cum pietate, vnà cum Nicodemo, de cruce illum deposuit

Considera admirabilem obedientiam Saluatoris etiam post mortem, nam sicut ex obedientia Patris crucem adiuit, ita postea noluit deponi absque licentia Pilati. Hic etiam considera in quantum seipsum

seipsum pro nobis exinaniuerit, & humiliauerit Dominus vniuersorum, siquidem non solùm tanquam malefactor iudicari voluit, & in crucem affigi, sed post mortem etiam voluit, vt corpus suum ex gratia postularetur tanquam malefactoris, vt terræ mandaretur. Denique vide quomodo Dominus noster omnia sua, & seipsum in commodum nostrum impenderit, non alicuius vtilitatis aut pretij respectu, sed solius amoris impulsu. Hinc postquam dedit sanguinem, spiritum & vitam, voluit etiam pro consolatione nostra vt Iosepho, & in persona illius, omnibus nobis corpus suum donaretur.

Considera, quomodo verus & æternus ille sacerdos postquam ad finē perduxisset solemnissimum illud sacrificium, quod in totius mundi satisfactionem oblatū erat, ex cruento illo & sanguineo crucis altari, descendit vestibus sanguine tinctis & cōsperſis. Hic perpende, quomodo in depositione sanctissimi corporis, interim cùm sancti illi discipuli, magno pietatis affectu, humeris suis illū sustentabant; ab alia parte dulcissimus Iesus, amoris sui brachijs eosdem complectebatur, animasq; proprio sanguine redemptas sibi intimè cōiungebat.

gebat. O felices discipuli, quia digni fuistis tangere, & inter brachia suscipere diuinissimam illā humanitatem Filij Dei. O si vel semel tantùm mihi concessum esset, ô bone Iesu, te recipere, & te dulciter brachijs meis stringere & complecti, cum quanta animi consolatione, in hæc dilectæ sponsæ verba prorumperem:

Cant. 1. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.* Sanctus ille senex Simeon te in vlnas suas accipiens dulcia oscula fixit, benedicens te, in pace quieuit. O si te semper tenere

Cant. 8. possem, dulcissime Iesu, sicut signaculū super cor meum, sicut signaculum super brachia mea, quantam perciperem consolationem, & in quanta pace quiesceret anima mea?

Considera, interim dum sancti isti viri occupantur in extrahendis clauis, è sanctissimis manibus & pedibus, pia mater stans infra crucem, gemebat & suspirabat, oculos eleuabat, manusque ad Filium extendebat, & cùm non posset patienter expectare, donec Filius deponeretur: se erigebat quantum poterat, vt illum contingeret, & illa ipsa adiuuabat vt deponeretur. Denique quando illum iam in brachijs habebat, quis poterit explicare doloris illius magnitudinem?

dinem? Ibi gemitus, ibi planctus, & querelæ renouabantur: plorabant Angeli pacis amarè vnà cũ afflicta Matre: plangebant cæli, stellæ, & omnes creaturæ. Complectebatur Mater lacerũ Filij corpus, & illum arctè ad pectus stringendo, sanguine se inficiebat, & humectabat, & lauabat suis lachrymis, & interim maternis & pijs oculis aspiciebat hinc & hinc cum magna cordis afflictione, os suum admouebat ad plagas impiè inflictas, & ad vulnera crudelia sacratissimi illius capitis, manuum, pedum, & lateris: ob immensam Filij compassionem, tot mortes sustinebat, eò quod mori cũ illo non posset: quot erant cruciatus & plagę quas videbat, & tangebat in ipsius corpore.

Ex alia parte considera acerbum planctum, quo dilectus ille discipulus Ioannes associabat se derelictæ Matri. O cum quanto dolore & amaritudine cordis, videns carum suum Magistrum, à quo tantopere fuerat amatus, ita miserè laceratum & mortuum, amplectabatur & exosculabatur sacrũ istud pectus, supra quod paulo ante suauiter recubuerat, & conabatur implere aquis lachrymarum fontem illum, cuius salutari aqua ipse iam antea erat potatus & inebriatus, al-

tia. Similiter faciebant omnes illæ mulieres & amici Domini, & præcipuè exanimata Magdalena, quæ nesciens discedere à Sanctis illis pedibus, à quibus tot misericordias acceperat, interim cũ dolore intolerabili illos complectens, non satiabatur eosdem deosculando, & flumine lacrymarum abluendo, confringebat non semel, sed millies cordis sui alabastrum supra ipsos vngens pretioso vnguento lacrymarum suarum.

COLLOQVIVM.

ROGABIS B. Matrem Saluatoris, per amorem doloremq; illum, quo recipiebat in brachia sua, & plangebat mortuum Filium, vt tibi impetret gratiam, postquã tua peccata fuerint causa mortis ipsius, vt emendatione vitæ tuæ, possis esse auxilio depositioni illius de cruce, & vt te faciat dignum ad recipiendum illum in cor tuum, & ad retinendum semper intra brachia animæ tuæ, & quoniam ille pro tua salute & exemplo, nõ voluit nisi post mortem, de cruce deponi: tu vicissim, nunquam à suaui crucis iugo ipsius te subducas aut retrahas, quousque ab ipso deponaris, & ad meliorem vitam voceris.

DOCV-

DOCVMENTA.

1. DVOBVS Ioſephis Dominus commendauit ſuam perſonam. Vni in principio vitæ, vt ipſum gubernaret: Alteri in fine, vt ipſum ſepeliret; Ioſephus interpretatur accreſcens & proficiens, vt intelligatur, quod Ieſus non ſe illis cõmunicet, qui in via ſpirituali conſiſtunt, aut retroreſpiciunt: verùm illis qui indies creſcunt, & in virtute proficiunt.

2. Ioſephus occultus erat Chriſti diſcipulus, verũ ne perderet illum theſaurum voluit manifeſtari, nihili faciens quid alij dicerent aut facerent: Ita non cogitemus nos vnquam obtenturos Ieſum, ſi nõ ſimus parati contemnere omnes reſpectus & timores humanos, & multa perpeti: quandoquidem non poteſt colligi iſta roſa, ſine ſpinarum puncturis.

3. Cùm patientia debemus Ieſum de cruce deponere, in quam noſtris peccatis illum affiximus, idq; veluntariè fateri debemus, cordis dolore, vt fecerunt ſancti illi diſcipuli.

4. Imitemur bonitatem viri illius ſancti, viuendo hoc modo, vt rogantes cum fide, & deſiderantes cũ amore, corpus Ieſu in Sanctiſſimo Sacramento, ſimus digni

habere illud à Deo, ſicut Ioſeph illud obtinuit à Pilato.

5. Tunc fatigamur in deponendo Ieſu de Cruce, quando occupamur in iuuandis proximis, vt illos ex peccatis extrahamus: quandoquidem conuertere peccatorem, qui ſuis malis operibus crucifigit Chriſtum, non eſt aliud, quam deponere Chriſtum de cruce.

MEDI-

MEDITATIO QVINQVAGESIMAPRIMA.

EVANGELIVM.

VENIT & Nicodemus, ferens mixturã myrrhæ & aloes, quasi libras centum. Acceperũt ergo corpus Iesu, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus. Erat autem in loco, vbi crucifixus est Iesus, hortus, & in horto monumentum nouum excisum in petra, in quo nõdum quisquam positus fuerat. Ibi ergo posuerunt Iesum. Et aduoluit Ioseph saxũ magnum ad ostium monumenti. *Ioan. 19.*

FIGVRA.

IONAS *Propheta in mare deiectus, quem deglutiuit magnus piscis, in cuius ventre fuit tribus diebus & tribus noctibus.* *Iona 2.*

Gen. 50. *Ioseph in AEgypto mortuus, magno cum honore & aromatibus sepultus est.*

PROPHETIÆ.

Isaia. 11. ERIT *sepulchrum eius gloriosum.*

Psal. 87. *Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebrosis, & in umbra mortis.*

Thren 3. *Lapsa est in lacum vita mea, & posuerunt lapidem super me.*

CONSIDERATIONES.

1. Punctũ. CONSIDERA interim cùm quiesceret corpus Filij in maternis brachijs, & cor matris in anima Filij, cùm adesset tempus vt vngeretur & portaretur ad sepulturam; magnam compassionem quam habebant sancti discipuli, in separatione Filij à Matre. Vnde, ex vna parte necessitas cogebat ad illum adorandum: ex altera parte inuitabat pietas, vt plangerent vnà cum Matre. Denique supplicibus verbis rogabant Matrem, vt permitteret illum vngi vnguento, & sepeliri. Verùm ipsa cum magna angustia respondebat, Vnguentum myrrhæ dilectus meus est mihi, ille inter vbera mea commorabitur: Atque vbi melius poterit quiescere, dulcis meus Filius, quàm

quàm in suæ matris viscéribus: Aut si alio in loco eum sepeliri velitis, sepelite me vnà cum ipso. Igitur cùm omnes lacrymis corpus Saluatoris irrigabãt, pretiosisque vnguentis vngebant, afflicta Mater sinu tenebat caput, atq; dum intueretur diuinam illam faciem, cicatrices, signaque plagarum, sanguinolentos oculos, spinarum dilacerationes, os illud dulcissimum felle & amaritudine plenum, tot in eodem temporis puncto, anima illius perfodiebatur gladijs, quot pœnas, vulnera, plagasq; tunc in lacerato Filij corpore cernebat.

Considera quanto cum pietate lacrymisque sancti illi viri, & deuotæ mulieres, in isto pietatis obsequio occuparentur, & attende, interim dum illi sacrum corpus vngunt, lauantque, pias Redemptor è contra illorũ animas proprio sanguine lauabat, & pretioso caritatis liquore vngebat. O quàm beata fuisset anima mea, si tunc temporis fuisset digna inuenta, quæ cum ipsis potuisset vngere & sepelire corpus filij Dei! Verùm heu mihi, quoties Dominus meus, non mortuus, sed viuus; non passibilis, sed glorioſus, se in manus meas demittit, vt à me in cor suscipiatur: Et ego infelix non cognosco hoc ipsum, nec magni-

facio, nec reputo pro beneficio vere singulari.

Compatiare alia ex parte desolatæ Matri, quando separari debebat à caro thesauro suo, & videre sibi tolli ex brachijs, & sub lapide abscondi dilectum animæ suæ. Cogita quanta hæc fuerit pœna quam sentiebat, & quemadmodũ sancti isti viri myrrha & vnguento vnxerant, & sepulturæ mandauerant corpus Filij, ita Mater liquore oculorum suorum & extremi doloris amaritudine vngebat, & eum in afflictissimũ suum cor recondebat.

Contemplare hic quomodo cor B. Matris, ne in minimo quidem dissimile erat sepulchro illi, in quo fuerat Filius reclusus, nam sicut sepulchrum illud lapideum, acutis ferramentis excisum & excauatum erat, ita cor B. Virginis infinitis dolorũ puncturis erat transfixum & conciſſum. Et sicut monumentum in horto positum erat: ita Virgo illa erat hortus ille, conclusus omni ex parte, quem intrare nunquam potuit inuidiosus ille serpens, multo minus veneno suo inficere. Erat hic hortus Mariæ refertus herbis odoriferis, sanctis cælestibusque desiderijs: in hoc inueniebatur pulcerrimus ille flos campi, candidissima

dissima lilia conuallium, & iucundissimæ rosæ Iericho. Ibi pariter erat regius ille flos radicis Iesse, supra quem requieuit Spiritus Domini. Habebat etiam mater illa sanctissima mundissimum illud linteum suæ innocentiæ, & virginalis integritatis, vt in eo corpus Domini inuolueret, neq; deerat illi myrrhę amaritudo & aloe innumerabilium dolorũ angustiarumque; habebat similiter pretiosum balsamum, odoriferaq; aromata virtutum omnium, quibus condiebat, & recondebat corpus dilecti Filij sui in sepulcrum animæ suæ. *Can. 2.* *Eccl. 24.* *Isaiæ 11.*

Contemplare iam anima mea, quomodo dilectus tuus iaceat in hoc horto, floribus circundatus, vnguentisque inuolutus. Vide quomodo amore tui languens dicat: *Fulcite me floribus, stipate me malis: quia amore lãgueo.* Verè dulcissime Domine, amore mei langues, quia amor tuus in me, te ad mortẽ adduxit, & lapidi suppossuit: bene quidem potuit mors terminare tuam vitam, verùm intimo tuo amori finem ponere non potuit. In vita fortiter me amasti, post mortem verò dulciter me amasti. Nam in vita, in dolore & pœna me peperisti, cùm amor tuus te desiderare fecit spinas, clauos, opprobia & crucem ad redi- *Cant. 2.*

mendam animam meam, verùm post mortē posteaquam redemisti animam meam, dulciter me amas, quia desideras flores odoresq; virtutum pro amoris tui refrigerio. Anima mea adporta flores, adporta odorifera dilecto tuo, vt amore tui langueat, adporta charitatis rosas, violas humilitatis, lilia puritatis, & odores virtutum omnium: quia in his quiescit, his pascitur, his nutritur dulcissimi dilecti tui amor.

Cant. 2.

COLLOQVIVM.

ROGA B. V. vt pauxillum myrrhæ illius tibi impetret, à Filio suo benedicto, quo sanctissimum illius corpus fuit conditum, vt possis cū cordis amaritudine deflere vnà cum ista, dolorosam suam mortē & passionem; & postquam cognoueris, quanta pro te tuus redemptor sustinuit, vt tu similiter possis carnem tuam, & inordinatos affectus animi tui mortificare, eumque similiter ornare virtutum aromatibus, perfectionibus Christianis, vt Iesu suo Filio placeat venire, & requiescere in illo, sicut in horto odorifero.

DOCVMENTA.

1. QVANDO *accedimus ad sanctiss.*

tiss. Sacramentum pura cõfessione mundemus cor nostrum, candidamq; reddamus sindonem conscientiæ nostræ, in quam inuoluamus sacratissimũ Christi corpus.

2. Imitemur paupertatem Christi, vt non desideremus nec quæramus huius mundi diuitias, nec rerũ proprietatem vllam, posteaquam quemadmodum natus est pauper & vixit pauper, sic moriens etiam voluit sepeliri in alieno sepulchro.

3. Curemus vt Christus dignetur habitare in nobis, ita vt cor nostrum sit nouum sepulchrum per nouam vitam, sit ex petra per firmitatem voluntatis in bono, sit concauum per humilitatem, mundum ab omni putredine malarũ cogitationum & sensualium desideriorum.

4. Quando pretiosum Christi corpus suscipimus, vngamus compunctionis aloe, & myrrha intimi doloris amarissimæ suæ passionis, & odore laudis & gratiarum actionis diuinæ Maiestatis.

5. Christus voluit sepeliri cum aromatibus in sepulchro Ioseph hominis iusti: nõ quiescit Iesus in fœtidis cordibus peccatorum, sed in iustorum cordibus, qui suauissimum emittunt odorem virtutis.

6. Quando beneficio Dei gratiam eius accipimus, per quam Iesus in cordibus nostris habitat, occludere eam in nobis

debemus, petra firmi constantisq; propositi, nunquam eum offendendi, nec amplius cor nostrum patere debet mundo, sed perseuerare debemus in sancto illius seruitio.

MEDITATIO QVINQVAGESIMASECVNDA.

DE CVSTODIA SEPVLchri Dominici.

EVANGELIVM.

Marc.15. Matt. 27. Luc. 23.

ERANT autem Maria Magdalena & Maria Ioseph sedentes contra sepulchrum, & aspiciebant vbi poneretur corpus Iesu. Similiter mulieres, quæ cùm eò venerant de Galilæa, viderunt monumentum, & quemadmodũ positum erat corpus eius.

eius. Et reuertentes, parauerunt aromata & vnguenta. Et sabbatho quidem siluerunt secundùm mandatum. Altera autem die conuenerunt Principes Sacerdotum & Phariſæi ad Pilatũ dicẽtes: Domine, recordati ſumus quia ſeductor ille dixit adhuc viuẽs, poſt tres diẽ reſurgam. Iube ergo cuſtodiri ſepulcrum vſque in diem tertium, ne fortè veniant diſcipuli eius & furẽtur eum, & dicant plebi: ſurrexit à mortuis, & erit nouiſsimus error peior priori. Ait illis Pilatus: Habetis cuſtodiam, ite cuſtodite ſicut ſcitis. Illi autem abeuntes munierunt ſupulcrum: ſignantes lapidem cum cuſtodibus.

FIGVRA.

CVM audiſſent Philiſtæi Samſon intraſſe vrbem Gazam, ibiq; dormire, circumdederunt eum poſitis in porta ciuitatis cuſtodibus. Iudic. 16.

PROPHETIÆ,

SCRVTATI ſunt iniquitates, defecerunt ſcrutantes ſcrutinio. Pſalm. 63.

Foderunt

Psal. 56. *Foderunt ante faciem meam foueam, & inciderunt in eam.*

Psal. 9. *In laqueo isto quem absconderunt, cõprehensus est pes eorum.*

Gen. 49. *Requiescens accubuisti vt Leo, & quasi leena, quis suscitabit eum?*

CONSIDERATIONES.

1. Punctũ. CONSIDERA, cùm iam adesset nox, desolata mater simul cum dilecto suo Ioanne magno dolore, cordisque afflictione, deserebat sepulcrum, & adorato sancto crucis ligno, in quo vita reclinata fuerat, tota afflicta & mœsta caro thesauro intra duos lapides relicto, Ieroſolymam regressa est, ibique in pene doloris & aqua lachrymarum in tenebris & lucta latebat, expectans donec illi restitueretur lætitia, ex desiderata præsentia sui vnici filij.

Vide, quomodo sanctæ illæ Mariæ, quæ non erant adhuc ita confirmatæ in fide resurrectionis, nescientes discedere ex loco, in quo iacebat dilectus eorum, stabant quasi in exstasi cum magna cõpassione & amore plangentes, & aspicientes sepulchrum. Et quomodo potuisset vnquam discedere illa inflammata Magdalena, postquam quãdo occludebant saxo os sepulchri, fuit ibi simul

mul incluſus illius ſpiritus: Vnde non habens in ſe amplius vitam, in illo ſolo viuebat, & in ipſo reſpirabat, deniq; iam appropinquante nocte coacta diſcedere, vt comitaretur ſanctam Matrem, cogita cum quanto dolore lacrymiſque receſſerit, quantaque cum triſtia illud iter confecerint gementes & ſuſpirãtes: Mater ſine filio, Diſcipuli ſine ſuo Magiſtro, & ſinguli ſine proprio corde, quia ibi erat relictum, vbi reliquerant ſuum cariſſimum theſaurum.

Conſidera, quod etiam poſtquam corpus Saluatoris eſſet incluſum ſepulchro, nõ ceſſauerint maligni Iudæi perſequi & calumniari illum tanquam ſeductorem, perſuadentes præſidi, vt iubeat cuſtodiri ſepulchrũ, putãtes quod hoc modo poſſent impedire, & obſcurare gloriam illius reſurrectionis. O ſtulta ſapientia hominum! quàm bene dixit Propheta: *Defecerunt ſcrutãtes ſcrutinio* ô miſeri, quò plures cuſtodias, ſigilla, & plus diligentiæ ponitis in cuſtodiendo ſepulchro Saluatoris, tanto plus redditis certam illius reſurrectionẽ: tanto plus ſe manifeſtat ipſius virtus & potẽtia, & magis fides noſtra fundatur: fecerunt foueam Saluatori, & ipſi inciderunt in illam, nam interim dum volunt abſcon-

abſcondere veritatem, illi ipſi teſtimonium veritatis fiunt: & interim dū quęrunt tollere gloriam Chriſti, ſua confuſione illuſtriorem efficiunt.

Conſidera quomodo alio cum affectu, deuotæ mulieres aſtiterunt ſepulchro, alio ſcelerati iſti Iudæi, qui illum cuſtodiebant; nam iſtæ ex amore & deſiderio Ieſu intendebāt: hi verò ex odio, vt eas ſepararēt à Ieſu: Verùm quoniam Saluator noſter ipſiſſima bonitas eſt & amor, nec ſeipſum negare poteſt illis, qui vera cum pietate illum quærunt, accidit, vt hi timore repleti & confuſione reiecti fuerint, iſtæ verò ineffabili conſolatione repletæ, meruerūt reſuſcitatum videre, & ſanctiſſimos pedes amplecti.

Conſidera quomodo ſub modicum terræ ſe recluſerit ille, quem comprehendere nō poteſt vniuerſus orbis. Magnus ille Deus, amore noſtri ita abbreuiatus & paruus factus eſt, vt nos faceret magnos, & habitatores immenſi cæli. Vide vt Saluator noſter quieſcat in iſto ſepulcro tanquam mortuus Leo, in apparentia & aſpectu erat humilis & infirmus propter formā noſtræ mortalitatis, verùm fortis & terribilis propter formam diuinitatis. Hinc cùm ita mortuus iaceret terrorem attulit inimicis, horrorem

rem morti, atque ipsum infernum spoliauit. Heu me si cùm adhuc esset in sepulchro ita erat formidabilis, quid erit quando cum omnipotentia & maiestate sua veniet ad iudicium, vt sumat de inimicis suis vindictam!

COLLOQVIVM.

ROGABIS Beatam Dei Matrem, vt tibi à benedicto suo Filio impetret, quandoquidem ille pro tuo amore se humiliauit ita, vt descenderet in ima terræ viscera, vt hoc exemplo tantæ humilitatis, taliter confundat tuam superbiam, vt in æternum te extollere, aut vlli creaturæ præferre non præsumas. Et similiter tibi impetret, vt gratiam, quam semel per interceſſionem suam & merita à Filio recepisti, eandem firmo constantiqúe proposito, & diligenti custodia in teipso custodire, & conseruare ad finem possis.

DOCVMENTA.

1. POST *susceptionem corporis Domini in sanctissimo Sacramento, à distractione mentis nobis caueamus, & sedeamus cum Marijs perseuerantes in oratione, & contemplatione Iesu, qui positus est in sepulchro nostri cordis.*

2. *Non erant contenta ista sancta mulieres,*

lieres, quod Domin⁹ semel fuisset vnctus, sed ibant vt procurarent alia aromata vt denuo vngerent. Ita nos, si verè amamus Iesum, non erimus contenti illo, quod præstitimus in ipsius seruitio, virtutibus huc vsq; acquisitis, verùm conabimur progredi semper vlterius de virtute in virtutem.

3. *Si volumus custodiri Iesum, ita vt non tollatur ex anima nostra, ponamus custodiam ad portas nostrorum sensuum, ne per illos mors ingrediatur, & egrediatur ex nobis Christus vita nostra.*

4. *Imitemur in benefaciẽdo diligentiã hominũ mundanorũ in malefaciẽdo: Non simus cõtenti vt præseruemus nos à peccatis operum; custodiendo sensus exteriores; verùm etiam obsignemus & custodiamus cor nostrum à malis cogitationibus & desiderijs, sicut Iudæis non satis erat apponere custodiam, sed adiungebant sigillum ad sepulchrum Christi.*

5. *Rogemus continuò Christum Dominum nostrum, vt sicut ipse fuit custoditus & obsignatus in sepulchro, ita, postquam nos sanctissimi sui nominis impressione signauit, velit vt hoc sacrum sigillum custodiat & conseruet in nobis semper diuinum amorem, & similiter conseruet nos, in suo perpetuo seruitio. Amen.*

ME-

MEDITATIO QVINQVAGESIMA TERTIA.

DE CHRISTI DESCENSV *ad limbum, ad liberandos Patres.*

SCRIPTVRA.

QVOD autem ascendit, quid est, nisi quia descendit primùm in inferiores partes terræ? *Ephes. 4.*

Et exspolians principatus, & potestates, traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso. *Coloss. 2.*

FIGVRA.

MOYSES *educens populum Israeliticum ex terra Aegypti, diuisit virga sua mare rubrum. Sicq; vniuersus populus sicco vestigio mare pertransijt; Pharao verò, & omnes inimici eorū aquis submersi perierūt.* *Exod. 14.*

PRO-

PROPHETIÆ.

Psal.106. ET *eduxit eos de tenebris, & vmbra mortis, & vincula eorum disrupit, quia contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit.*

Zach.9. *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.*

Osee 13. *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: Ero mors tua ô mors, morsus tuus ero inferne.*

CONSIDERATIONES.

1. Punctū. CONSIDERA, sanctum illum chorum Patrum, in isto tenebroso carcere, gementē & supirantē, præ desiderio fælicis istius diei, quomodo sæpius *Psalm.41.* repetierint quærulas illas voces. Quando veniemus & apparebimus læti, ô dulcissime Domine, ante tuum conspe- *Ibid.* ctum! Ostende nobis faciem tuam, & salui erimus. Ecce vt desiderat ceruus ad fontem aquarum, ita animæ nostræ desiderant te Domine: fuerunt nobis lacrymæ oculorum nostrorum panes die ac nocte, dum exprobrant nobis inimici nostri dicentes: Vbi est Deus vester! Excita, ô Domine, potentiam tuam, & saluos nos fac.

Considera

Considera, quomodo cùm Saluator noster finiuisset glorioſum opus noſtræ redemtionis, & draco infernalis manſuetum agnum occidiſſet, credebat ſe ille ſecurum eſſe iam de victoria, & ecce in monumẽto, cùm benedicta illa anima, inſtar fortiſſimi Leonis cum magna potentia ad partes inferiores deſcenderet, incipit in ipſo reſplẽdere magnitudo diuinitatis, & poſtquam propria virtute diſrupiſſet & cõieciſſet in terram portas illas æternales, intrabat ad ſanctas illas animas, quæ ab impio latrone à principio mundi, vſque in illam horam tenebãtur incarceratæ. Vbi conſidera benignitatem, & ineffabilem charitatem, redemptoris, qui poſtquã poſſet per Angelos liberare Sanctos illos, & per illos ad ſe adducere, voluit Dominus vniuerſorum in propria perſona, non tanquam ſeruos, ſed chariſſimos amicos viſitare & conſolari.

Ex alia parte cõſidera, quomodo ſanctæ illæ animæ cognoſcentes appropinquaſſe tempus ſuæ liberationis, plenæ ineffabili lętitia, dicebant vna ad alteram. Eleuate capita veſtra, & reſpicite quia appropinquat redemptio noſtra. Atque dum hęc dicerent, videntes venire ſuum pium liberatorem, omnes illi

occurre-

occurrebant, atque infinito gaudio reuerentiaque eum adorabant. Et postquam ab ipso hilari vultu fuissent receptæ, easque esset tenerrimè complexus, dicebant voce lacrymabili & læta. Venisti tandem, ô vnice noster propitiator, ô desiderate omnibus gentibus, & à nobis tanto tempore in his obscuris tenebris expectate! ad te continuò clamabamus in nostris suspirijs, & te qnærebant nostra longa lamenta; Venisti tandem, & impleuisti verbum tuum: non es oblitus eorũ qui sperabant in te; difficultas itineris superata est à tua pietate, & magnitudo amoris tui superauit labores, & dolores duræ crucis.

Considera quod in descensu, quem fecit Christus in istas partes, resplenduerit totus ille tenebrosus locus, & subitò vestiebantur claritate illi, qui sedebant in ista vmbra mortis, & simul incussit tantum terrorem turbæ isti infernali, vt conturbatæ, & trementes ad ipsius præsentiam, inciperent conqueri, dicentes intra se: Quis est iste potens & terribilis, qui ausus fuit disrumpere portas nostras, & spoliare nos nostro dominio! Si est homo, vnde illi tanta audacia & potentia; si est Deus, quomodo fuit mortuus & sepulchro incluſus? pugna-

turus

turus nobiscum, non à nobis puniendus aduenit. O crux, quæ ita clusisti spem nostram, & fuisti causa tanti damni & ruinæ nostræ. In ligno acquisiuimus mundum, & omnes nostres diuitias, & per lignum sumus spoliati omnibus rebus.

Non potest exprimi lingua ineffabile gaudium, quod habebant sanctæ istę animæ, quando videbant se liberari ex æterno illo carcere, & dura Ægypti illius seruitute, & quando videbant suos aduersarios omnes submersos, & mortuos in mari rubro, tunc incipiebant cum magno iubilo cantare, dicentes: *Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est, equum & ascensorem proiecit in mare.* *Exod. 15.* At multo maior, immò infinita erat lætitia Saluatoris, videntis tantam animarum multitudinem sua passione redemptam: tunc summam animi percipiebat consolationem voluptatemque, ex præteritis cruciatibus molestijsque, cum cerneret fructum inde prouenientem: tunc cor illius replebatur ineffabili lætitia, cum conspiceret se circumdatum tot filijs, cùm videret finem martyrij, approbriorum, ignominiarum & amaritudinum crucis.

COL-

COLLOQVIVM.

ROGABIS Christum noſtrum redemtorem, quandoquidem ille dignatus fuit, tanta cum caritate viſitare & liberare ſanctas illas animas, è manibus Principis tenebrarum, & adducere ſecum in gloriam ſuam, vt per eandē benignitatem dignetur viſitare tuam, cāq; è peccatorum ſuorum & imperfectionum tenebris eripiendo, impleat omnibus virtutibus, & cęleſtibus donis, vt de manibus iuimicorum tuorum liberatus digne illi ſeruire, & ſimul cum ſanctis animis illum videre & laudare poſſis in cęlo.

DOCVMENTA.

1. *CHRISTVS primò deſcendit è cælo in partes inferiores terræ, poſtea aſcendit in altum: Ita nos, ſi volumus cum illo exaltari, neceſſarium eſt, vt nos humiliemus & ſubmittamus infra omnes.*

2. *Si Chriſtus Dominus noſter non dedignatus fuit deſcendere ad partes inferiores, vt liberaret ſanctos iſtos Patres: neque nos debemus dedignari pro auxilio & conſolatione proximorum viſitare carceres, hoſpitalia, & agere cum omnibus, etſi ſint perſonæ humiles, pauperes, & viles.*

3. *Si Chriſtus triumphum retulit de*

damone

demone aduersario nostro, quanto vituperio dignus erit Christianus, & multo magis religiosus, qui cùm à passionibus proprijs vincitur, permittit, vt ille de se triumphet, de quo Christus caput nostrum triumphauit.

4. *Tunc ad imitationē Christi de spoliis inimicorum nostrorum triuphamus, quando sensus nostros mortificamus, subijciendo carnem spiritui, & similiter religiosi, qui abnegant voluntatem & iudicium, submittendo illud suis superioribus.*

5. *Latebant sancti Patres in tenebris, sed cum spe desiderioq; Saluatoris, idcirco promeruerunt, vt visitarentur & liberarentur. Ita nos cùm versamur in tenebris tentationum, aut desolatione spirituali, nō amittamus confidētiam, verùm cùm desiderio recurramus ad Christum, & sine dubio ab ipso visitabimur & consolabimur.*

6. *Supportemus in patiētia omnes molestias & miserias, quantumuis magnas in seruitio Dei, seminantes in lachrymis opera nostra: cùm simus certi, quod in alia vita metemus cum exultatione, & colligemus fructum copiosum, sicut Christus recollegit ex passione sua, liberando tot animas cum magna consolatione.*

MEDITATIO QVINQVAGESIMA-QVARTA.

DE GLORIOSA RESVRRE-ctione Christi Domini nostri.

EVANGELIVM.

Marc.16. Luc.24. Ioan.20. Matth.28.

ET cùm transisset sabbathum, Maria Magdalene, & Maria Iacobi,& Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum : Et valdè manè vna Sabbathorũ, cùm adhuc tenebræ essent, venerunt ad monumentum,portantes,quæ parauerant aromata.Et ecce terræ motus factus est magnus. Angelus enim Domini descẽdit de cœlo,& accedens reuoluit lapidẽ,& sedebat super eum. Erat autem aspectus eius sicut fulgur,

gur,& veſtimenta eius ſicut nix. Prę timore autem eius exterriti ſunt cuſtodes,& facti ſunt velut mortui. Et dicebant ad inuicem: Quis reuoluet nobis lapidem ab oſtio monumenti? Et reſpicientes viderunt lapidem reuolutum à monumẽto (erat quippe magnus valdè) & introeuntes in monumentum, viderunt iuuenem ſedentem à dextris in ſtola candida, & obſtupuerunt. Reſpondens autem Angelus dixit mulieribus: Nolite expaueſcere vos: Scio enim quod Ieſum Nazarenum, qui crucifixus eſt, quæritis. Non eſt hic: ſurrexit, ſicut dixit. Venite & videte locum, vbi poſitus erat Dominus.

FIGVRAE.

POSTQVAM *fuiſſet Ionas in ventre piſcis tribus diebus & tribus noctibus proiectus eſt in aridam.* Ioan.2.

Dormiuit Samſon in ciuitate Gaza, & ab inimicis circumdatus, inde conſurgens apprehẽdit ambas portas, & exiuit. Iud.16.

PROPHETIÆ.

Psal.3. EGO dormiui, & soporatus sum, & exsurrexi, quia Dominꝰ suscepit me.

Psal.15. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctũ tuum videre corruptionem, notas mihi fecisti vias vitæ.

Psalm.29. Conuertisti planctum meum in gaudium, concidisti saccum meum, & circũdedisti me lætitia.

Psal.56. Exurge gloria mea, exurge psalterium, exurgam diluculo.

Psal 70. Quantas ostendisti mihi tribulationes, multas & malas, & conuersus viuificasti me, & de abyssis terra iterum reduxisti me.

Osea 6. Viuificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos.

Mich.7. Ne lateris inimica mea super me, quia tecum consurgam cùm sedero in tenebris.

CONSIDERATIONES.

1. Punctũ. ADERAT iam tertius dies, à quo mortuum Saluatoris corpus iacebat sub frigido isto lapide, omnino lacerum, & deforme, cum sudario in facie, ligatum & constrictum in vili isto linteo. At æterna sapientia cùm superasset dæmonem, mortis inuentorem, vellétque etiam ipsam mortem destruere, & electis

& electis vitam æternam aperire, venit victrix illa anima ex vna parte stipata venerabili illo sanctorum Patrum choro, ex alia parte innumerabilibus angelorum turbis, rursumque vnita potentia diuinitatis suæ cum sacro isto corpore, magno triumpho & gloria à morte resurrexit ad vitam.

Conuenienter admodum voluit redemtor noster matutino tempore ex sepulchro resurgere, in quod vespertino tempore magno cum fletu inclusus erat, vt ad impleretur quod per Prophetam dictum erat. Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lętitia, voluit etiam resuscitari matutino tempore, vt demonstraret, quod esset verus iustitiæ sol, qui imposito fine potestatibus tenebrarum, & superata infestissima passionis nocte, magno cum splendore & claritate oriretur ad illuminandum hos, qui in tenebris & vmbra mortis sedebant. Denique voluit matutino tempore maturè admodum resurgere, propter charitatem nimiam, quæ non permittebat vt cara mater, & dilecti discipuli diutius propter mortem suam affligerentur. Hinc, cum debuisset secundùm Scripturā tribus diebus manere in viscеribus terræ: ita abbreuiauit

Psal. 29.

Luc. 1.

hoc tempus, vt & satisfaceret veritati scripturę, & nô deesset desiderio eorum, qui illum amabant. O benigne Iesu ô dulcis amator hominum, quanto tu es paratior ad amicos tuos consolandos, quàm ad castigandum inimicos: nam vt punires ingratam istam ciuitatem, & horrendum istud peccatum Iudęorum, qui te crucifixerunt, 40. annos expectasti; verùm vt consolareris illos, qui pro amore tuo erant in afflictione, vix potuisti expectare 40. horas.

Cogita quomodo cùm benedicta illa anima sacrum illud corpus ingrederetur, quàm primùm communicauerit illi gloriosas suas dotes, reddidit corpus ipsum multo clarius, multoque splendidius ipso sole. Hinc hoc ipsum corpus, quod paulò ante erat deforme, & omnino obscurum, omniũ postea corporum superauit pulchritudinem. Tenebræ Illius vertebantur in lucem clarissimam, plagarum deformitas in incomparabilem speciem pulchritudinis. Voluit nihilominus in testimonium redemptionis nostræ, & ad permouenda diuina erga nos viscera misericordiæ, retinere sacras illas manuũ, pedum, & lateris plagas, quæ instar splendidissimarum gemmarum & limpidissimorum

fontium

fontium suo aspectu exhilarant totam Deiciuitatem. O quanto gaudio sacra ista vulnera repleuerunt turbatorũ discipulorum corda; propter certitudinem resurrectionis Magistri sui quam ostendebant: & quantam vsque modò consolationem dulcedinemque, omnibus Christi amatoribus subministrant! Beati oculi, qui digni fuerunt vulnera illa intueri, & felicia illa labra, quibus fuit concessum vt ex illis sugerent dulcissimum illud mel, quod ex diuina illa petra scaturit.

Contemplare anima mea gloriam sanctissimi corporis tui Redemtoris, vide quomodo pulcherrimus ille flos radicis Iesse, qui in Incarnatione floruit, in passione expalluit, in morte decidit, & propemodum exaruit, iam in resurrectione denuo incipit florere, recipiendo pristinam pulchritudinem, & totum mundum suauitate odoris replet, imò maiore pulchritudine & splendore vestitur: nam si corpora electorum in resurrectione, secundùm cõformitatem claritatis corporis Saluatoris, fulgebunt *Matth. 17.* in regno Patris sicut Sol, quanta, cõgitemus, gloria & claritate fulgebit hic Sol iustitiæ, candor ille æternæ lucis. Christus Iesus? O verè beata nox quæ post-

quam illustrata fuisti ab authore lucis, superas claritate omnes serenos clarosq; dies! Hæc est nox, de qua scriptum est per Prophetam: *Nox sicut dies illuminabitur*: In hac nocte lætatur terra, quia produxit fructum ita sublimem: lætantur cæli, quia ornantur nouo & clariore sole: lætantur Angeli, quia iustificantur peccatores: denique lætantur creaturæ omnes, quia sicut in morte Creatoris omnes dederunt doloris signum & tristitiæ, & cum ipso in defectionem venerũt: ita in resurrectione gloriosa, omnes simul cum ipso resuscitantur. Vnde meritò hodierna die Ecclesia cum exultatione cantat: *Hæc est dies, quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea.* Et Angeli in cælo cum iubilo resonãt: *Alleluia, Alleluia, Alleluia.*

Psal.138.

Psal.117.

Vide iam, magnum illum Patriarcham Iosephum, quomodo exeat è tenebroso illo carcere, in quem propter innocentiam & bonitatem erat coniectus, & mortalitatis capillis detonsis, vestiatur vestibus immortalitatis, Dominúsque totius Ægypti constituatur.

Gen.41.

Vide sanctum illum Regem Dauid, qui superbo illo Philistæo superato cum triumpho regreditur, & gloria, ex sanguineo illo campo, circundatus sanctis animis,

animis, cũ gaudio cãtantibus, Saul percussit mille, & Dauid noster decẽ millia. *1. Reg. 17.*

Vide Leonem fortissimum de tribu Inda, qui postquam requieuisset in cauerna, neque ausus quisquam esset resuscitare illum, seipsum suscitat, foras egreditur, totusque terribilis, prosternit glorioso suo clamore inferorum, & tremore concutit terram. *Gen. 49.*

Denique anima mea vide tuum spõsum, qui ab vmbra, sub qua in meridie requieuerat, rediens te vocat, & dulcibus verbis inuitat: Surge, propera amica mea, columba mea, & veni, iam hyems antiquæ præuaricationis transijt, imber persecutionis & tribulationis recessit: flores cælestium gratiarum apparuerunt in terra nostra, vox turturis, cantus videlicet & laudes animarum iustificatarum, audita est in terra nostra, vineæ similiter electorum meorum floruerũt, produxeruntque flores bonarum sanctarumque operationum, reddentes omnibus gratum & suauissimum odorem virtutum.

SECVNDA PARS.

QVOMODO DOMINVS *Matri apparuerit.*

VERVM quid facis, dulcis Iesu, vt 1. Punctũ.

tanti gaudij consolationisq; participem non reddas afflictam & desolatam Matrem, cùm id ratio postulet, vt quæ tibi fidelis fuit in passione socia, sit & tibi in consolatione socia; & si ex nimio cordis dolore & compassione tui, in ipsa tua cruce, tecum est affixa & mortua, æquũ sanè est, vt etiam tecum resurgat & lætetur. Et cùm sit præceptum tuum, de quo in scriptura: *Honora Patrem tuum.* & non obliuiscaris gemituũ matris tuæ, quomodo tu obediendissime & amabilissime fili, poteris obliuisci matris tuæ? quæ in tantum te amat, tot gemitus, suspiria & lacrymas pro te effudit? Dissipa idcirco, benignissime Domine, nubes, quæ obnubilãt afflictam animam eius, & post hyemem tantarum lachrymarum & doloris, reducas ver nouum, lætum & floridum.

Eccles. 7.

Latebat Virgo in obscuro illo cubiculo, ac si etiam sepulta esset cum Filio, quadam mortali tristitia; continuò ante oculos illius versabantur crudeles illi cruciatus, dira ista vulnera, & deformata figura mortui Filij, virginale illius pectus concutiebatur continuis ieiunijs, vigilijs, lacrymis omnino consumebatur; atque interim dum maternis & pijs gemitibus inuocaret Filium, vt tandem

venire;

veniret, & lætitiam desiderata sua præsentia restitueret, & vt tanquam verus sol illuminaret & illustraret obnubilatum & obscuratum suum cor: ecce derepente in tenebroso illo loco cernit oriri nouam quandam & diuinam lucem, audiebat nouam illam salutem, & ante se vidit comparere viuum gloriosum, & desideratum illum animæ suæ.

Hic poteris contemplari magnitudinem gaudij, quod hoc momento temporis occupauit pectus Virginis, & quo modo subitò, depulsa omni tristitia, serenata fuerit sancta illa anima, & lachrymæ doloris conuersæ in lacrymas lætitiæ. Nam si magnus ille Patriarcha Iacob tantum lætatus est, postquam intellexit, filium suum, quem vt mortuũ luxerat, viuere & imperare in tota terra Aegypti; quantum putamus fuisse gaudium benedictæ Matris, quando vidit vnicum suum quem paulò ante defunctum brachijs suis complexa fuerat, reuixisse, deuicisse mortem, triumphasse de inferno, & factum esse cœli & terræ Dominum? Quando vidit restitutum esse pristino candori & pulchritudini, gratiosissimum illum vultum, & diuinos illos oculos, quibus adeò suauiter ab ipso aspiciebatur. Quando audiuit suauissimam *Gen. 45.*

uissimam illam vocem, & dulcem salutationem, qua non iam amplius mulier, sed mater nominabatur: neque amplius monstrabat discipulum, sed ostendens seipsum, dicebat: Mater, ecce filius tuus. Quando deniq; se sentit amplexari sacratis illis brachijs, & tanto amore ac pietate diuinis illis manibus abstergi lachrymas vultus sui. Existimo, quod præ magnitudine lætitiæ cordis sui, aliquo tempore verbum profari nequiuerit, at tandem rediens ad seipsam, adorato Filio & Deo suo dixerit. Iam secundùm multitudinem dolorum meorum, ô fili mi, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam; atque hæc proloquens non satiabatur aspiciendo & exosculando, maxima cum suauitate sacra illa vulnera, manuum, pedum, & lateris, quæ olim tantum dolorem, modò verò tantam adferebant consolationem.

Psal. 39.

COLLOQVIVM.

ROGA Christum Saluatorem nostrũ, vt, quemadmodũ ruptis vinculis mortis, ipse se resuscitauit ad nouã vitã, ita anima tua virtute resurrectionis ipsius, ruptis mortiferis laqueis peccatorum, quibus ligatur, resuscitetur vnà cum

cum ipso ad vitam gratiæ, vt in posterum ambulans in nouitate vitæ, efflorescat in omni virtute, solum quærat & desideret res æternas & cælestes, nō autem eas, quæ sunt super terram, atque ita tandem dignetur in die vniuersalis resurrectionis, reformare carnem tuam, & configurare claritati corporis sui, vt ita totus innouatus possis cum redemptore tuo viuere & regnare in perpetuum.

DOCVMENTA.

1. TRES illæ *sanctæ mulieres licet plurimum dilexerint Dominum, & vngere illius sanctissimum corpus, fuerit opus summæ charitatis: nihilominus propter obedientiam legis, abstinuerunt à tali opere, die sabbathi. Ita nos abstinere debemus non solùm ab operibus malis, sed sæpe ab ijs quæ nobis apparēt bona & sancta, si obedientia ob bonū aliquem finem ita iubeat.*

2. *Si terra ad præsentiam Angeli intremuit, qui venerat annunciare hominibus noua tanta consolationis: quantum putamus tremet ad præsentiam Christi, quando totus terribilis venerit iudicare & punire peccatores?*

3. *Sanctæ mulieres summo mane ibant*

cum aromatibus ad sepulcrum; beati illi sunt qui consecrant principium vitæ suæ Christo Domino: incipientes ei deseruire à iuuentute sua. Nam dubio procul tales ipsum inuenient, iuxta illud quod dicitur. Qui mane vigilant ad me, inuenient me.

4. *Sanctæ mulieres, interim dum pergerent ad vngvendum corpus Domini, inceperunt dubitare, num possent reuoluere lapidem ab ostio monumenti, sed nihilo secius pergentes inuenerunt reuolutum ab Angelo. Lapis iste, grauitas & difficultas pœnitentiæ est, quam considerantes illi, qui nouiter relinquentes mundum, sequuntur Christum, timent ne non possint perseuerare. Sed non debemus diffidere, nec retrocedere: si enim perseueraumus, vt hæ mulieres, Deus submittet gratiam spiritus sancti de cælo, que reddet iter planum, & faciet suauem & facilem omnem difficultatem.*

5. *Mulieres euntes ad præstandum hoc sanctum opus, etsi nossent quantus esset lapis, qui occludebat sepulchrum, & quàm exiguas ipsæ haberent vires, nihilominus confidentes Deo, cõmiserunt se itineri, & appropinquantes cognouerunt lapidẽ esse reuolutum, & Christũ resurrexisse: Ita nos in operibus diuini seruitij, & auxi-*

lio

lioproximis impendendo, quamuis maxima occurrant aduersitates & impedimenta, non debemus absterreri, sed confidentes diuinæ gratiæ, pergere: Deus enim sua ope, dabit nostris conatibus felicem successum, si quidem ad laudem sui nominis fuerint suscepti.

6. Sepulchrum, in quo iacebat corpus Christi, designabat altare Domini, in quo mysterium corporis & sanguinis conficitur. Vnde qui dignè ad hoc accedere desiderant, debent, vt illæ tres sanctæ fœminæ, habere secum aromata odorifera virtutis, & suaue vnguentum orationis.

7. Angelus custos sepulcri, suo terribili aspectu exterruit ministros Iudæorum, & blandis verbis sanctas mulieres, quæ quærebant Saluatorem, est consolatus: Ita boni prælati & sacerdotes, qui sunt Angeli Dei, debent seueritate incutere terrorem obstinatis, & exstinguere peccati venenum, honesta verò & suaui conuersatione, amanter animare pœnitentes, & confirmare bonos in virtute.

8. Interim dum mortuus iaceret in sepulcro Christus Dominus, lapide monumentum erat occlusum, postquam verò resuscitatus est, accessit Angelus & reuoluens lapidem, sedebat supra eum. Oremus Deum, vt postquam exiuimus è sepulchro

pecca-

peccati, ipsius sancta gratia sedeat & contineat sub se petram repugnantis nostræ carnis, quæ dũ nos mortui iaceremus in sepulchro; supprimebat & sub se continebat spiritum nostrum.

9. *Christus postquam resuscitatus est, reliquit sepulchrum, nec diutius hæsit ibi, vt Angelus dixit mulieribus: Si nos postquam resuscitati fuerimus ad vitã gratiæ adhuc quæsierimus solatiũ sensuum, neq; vitauerimus occasiones peccati, nondum plene reliquimus fœtorem sepulchri, nec verè cum Christo resurreximus.*

10. *Dominus non peruenit ad gloriam resurrectionis suæ, nisi per asperitatem flagellorum, & amaritudinem fellis, & per ignominiam crucis: Ita non existimemus nos peruenturos ad gloriam cœlestis patriæ, nisi per huius vitæ tribulationes, & molestias tentationum.*

11. *Christus resurgens ex mortuis vnà cum sepulcro reliquit conditiones corporis terreni, & se vestijt dotibus corporis glorioſi, nempe claritate, impassibilitate, agilitate, & subtilitate. Ita nobis si verè cum Christo velimus resurgere, non sufficit reliquisse mundum, & quod simus exuti operibus hominis antiqui, sed debemus vestiri de nouo, nempe Christo Domino, & ipsius glorioſis dotibus, ac primò debe-*

debemus habere claritatem, hoc est, praelucere proximis exemplo humilis & sanctæ conuersationis. Secundò debemus esse impassibiles, per mortificationem sensuum & affectuum nostrorum. Tertiò debemus esse agiles, id est prompti & sollicitiin operibus diuini seruitij. Vltimò necessaria nobis est subtilitas, imitando puritatem angelicam, per munditiam cordis & corporis, & eleuando continuò mentem ad Deum oratione.

* * *

MEDI-

MEDITATIO QVINQVAGESIMAQVINTA.

QVOMODO CHRISTVS *Dominus apparuerit Mariæ Magdalenæ.*

EVANGELIVM.

Marc. 16. Ioan. 20.

MARIA autem stabat ad monumentum foris plorans. Cùm ergo fleret, inclinavit se, & prospexit in monumentum, & vidit duos Angelos in albis sedentes, vnum ad caput, & vnum ad pedes, vbi positum fuerat corpus Iesu. Dicunt ei illi: Mulier quid ploras? Dicit eis: Quia tulerunt Dominũ meum, & nescio vbi posuerunt eum: Hæc cùm dixisset, conuersa est retrorsum, & vidit Iesum stantem, & non sciebat quia Iesus esset. Dicit ei Iesus: quid ploras? quem quæris? Illa existimans quia hortu-

hortulanus esset, dicit ei: Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi vbi posuisti eum, & ego eum tollam. Dicit ei Iesus: Maria. Conuersa illa dicit ei: Rabboni, quod dicitur, magister. Dicit illi Iesus: Noli me tangere; nondum enim ascendi ad Patrem meum. Vade autem ad fratres meos, & dic eis. Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum; Deum meum, & Deum vestrum.

PROPHETIÆ.

IDCIRCO *ego plorans, & oculus meus deducens aquas, quia longè factus est à me consolator, conuertens animam meam.* *Thren. 1.*

Surgam, & circuibo ciuitatem, per vicos & plateas quaram quem diligit anima mea; quæsiui illum, & non inueni: inuenerunt me vigiles, qui custodiunt ciuitatem. Num quem diligit anima mea vidistis? Paululum cùm pertransissem eos, inueni quẽ diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam. *Cant. 3.*

Ego diligentes me diligo, & qui mane vigilant ad me inuenient me. *Prou. 8.*

CONSIDERATIONES.

STABAT Maria foris ad monumentum, *1. Punctũ.*

tum, & plorabat, quia videns se priuatam Magistro, & ignorans vbi quæreret illum, neque etiam valens viuere sine illo, nesciebat ecquid faceret aliud, quàm staret ibi, & ploraret, amoris vehementia detinebat illam & cogebat stare; dolor verò faciebat, vt plangeret. Doluerat quidem prius quando Magister sibi ablatus fuit per mortem, sed dolor iste inuenit aliquam consolationem, quandoquidem potuit illum ad manus habere mortuum; sed iam cùm nec mortuum quidem possit habere aut inuenire, dolet secluſa omni omnino consolatione. Venerat Maria ad sepulchrum, vt vngeret Iesum, sed corpus nō inueniens, non habuit occasionem vngendi, habuit tamen plangendi, & ipsum prosequendi lachrymis. Petrus & Ioannes venerant vnà cum Maria ad monumentum, sed illi occupati timore, abierunt; Maria verò mansit impauida, cùm enim Magistrum illū suum perdidisset, supra omnia dilectum; non putabat sibi quicquā superesse in hoc mundo, quod vltra perderet, quandoquidem cū ipso & vitam, & animam, & omnem suam spem perdiderat. Vnde stabat mortua potius, quam viua, quia sentiens non sentiebat, & videndo nō videbat, imò nec erat vbi erat,

erat, quia ibi tota erat, vbi Magister erat, etiamsi nesciret vbinam esset.

O Maria, ecquæ est illa spes tua? quod consilium? quod cor tuum, quæ sola vis manere iuxta monumentum, quod discipuli deseruerũt? Anne tu aut scientia instructior? aut amore in Iesum ardentior? aut constantia denique; & animi excelsi firmitate ceteris discipulis es robustior? Verè Maria non erat discipulis doctior in vllo, extra hoc vnum, quod amare vehementius ceteris, didicisset, & plus dolere propter eum, quem tantopere diligebat, quod illi nesciebant. Neque etiam erat illis fortior, nisi quod cũ doloris magnitudine esset sui oblita, obliuiscebatur etiam timoris, & lætitiæ, & omnium aliarum rerum. Imò ita erat extra se, vt nec cognosceret eum, in quẽ tanto amore ferebatur. Nam si illum cognouisset, nõ quæreret in sepulchro, sed memor verborum ipsius, quibus significârat se crucifigendum, & tertio die resurrecturum, non doleret de morte ipsius, sed de eius resurrectione lætaretur.

Magdalena interea dum plasigeret, inclinauit se, & prospexit in monumentum; prius viderat monumentum esse vacuũ, nihilominus magnitudo amo-

ris

ris faciebat, vt sæpius introspiceret; Vidit ergo duos Angelos, qui ei dicebant: *Mulier quid ploras?* sed ipsa ob vehementiam doloris, abstracta quasi à sensibus, nec recipiens ex Angelorum visione solatiũ, intra se dicebat: Hei mihi quæ consolatio est ista? Omnes consolatores mihi graues & molesti accidunt extra vnum: non quæro creaturas, sed creatorem: non Angelos, sed eum qui & me & Angelos fecit; tulerunt Dominum meum, ipsum solum quæro, ipsius causſa plango, ipse solus me potest consolari. Sed eheu nescio vbi posuerunt eum, quid faciam, aut quò ibo? Non dabo somnum oculis meis, nec requiem pedibus meis, quousque inueniam illum, quem diligit anima mea. Hei miseram me, vbi est gaudium meum? vbi absconditus est amor meus? Sine ipso quid faciam? discedere à monumento est mihi mors: manere vero ibidem dolor est nullo modo consolabilis; sed melius mihi est manere & hic mori, vt saltem sepeliar iuxta sepulchrũ Domini mei. O quàm beatum, erit corpus meum, si fuerit sepultum ad latus Magistri sui! & quam felix anima mea, si exiens ex fragili corpore, potuerit statim intrare gloriosum monumentum Domini mei!

Sed

Sed tu, dulcissime Iesu, quare modò erga illam discipulam tuam, quam olim te adeò amare demonstrasti, factus es ita crudelis? tu illam defendisti contra Pharisæum; tu es qui excusasti illam apud sororem, & tantum commendasti in præsentia tuorum Apostolorum; tu etiam ille ipse es, qui videns illam plangere, vnà cum ipsa fleuisti, & illius gratia & amore resuscitasti fratrem ipsius Lazarum: Iam post hæc omnia in quo offendit dulcedinem cordis tui, quod ita te ab ipsa elonges? Certè post conuersionem suam, nihil de ipsa est auditum, nisi quod, postquam fuisti positus in sepulchro, ipsa primò omnium mane venerit ad sepulchrum, vt vngeret corpus tuum, & cùm non inueniret, summa festinatione cucurrerit, vt hoc indicaret discipulis tuis, qui venientes ad sepulchrum, & cernentes te non adesse, abierunt; & hæc sola remansit ibidem plorans. Iam si hoc peccatum est; non potest negari ab ipsa commissum: sin verò est signum vehementis amoris erga te, quare te illi abscondis? Nonne tu etiam dixisti, quod amantes te diligas, & inuenianis ab ijs qui mane vigilant vt te inueniant? Cur ergo, illa, quæ ita tempestiuè excitata est, vt veniret ad quæ- *Prou. 8.*

quærendum te, te non inuenit? Et si
Luc. 10. dixisti olim de illa ad sororē suam, quod meliorem partem elegerit, quæ non auferetur ab ea, & certè elegit meliorem partem, quia te elegit, quomodo ergo verū est, quod non auferetur ab ea, cùm te, quem vnū elegit, à se ablatum conspiciat: Quod si non est verum, eam partem quam elegit esse sublatam, vt quid ergo plangit, & adeò quærit?

Interim dum Maria tali modo doleret, conuertens se, vidit Iesum stantem, (sed non cognoscebat eum) dicentem ei: *Mulier quid ploras, & quid quæris?* O bone Iesu cur interrogas ex Maria quamobrem ploret? Paulò ante summo cum dolore, vidit te suspensum in cruce, & iā dicis, quid ploras? Iam sunt tres dies, cùm vidit manus tuas, quibus ei sæpe benedixisti, & pedes tuos, quos tanto amore exosculata est, quos rigauit lachrymis, esse confixos durissimis clauis in cruce, & tu dicis, quid ploras? Postremò videt nunc se etiam esse spoliatam corpore tuo, quod vt haberet aliquod solatium, venit vngere, & tu dicis, quid ploras? & quid quæris? Optimè nosti, quod te solùm quærat, & propter te plāgat. Dulcis Magister, noli vltra affligere animam huius mulieris, putasne, quod ipsa

ipsa debeat tibi respondere, ploro propter te,&te quæro, si tu nō prius loquaris ad cor illius, & dicas; Ego sum ille, *Ioan. 18.* quem quæris? O bone domine,si in nocte passionis tuæ,quando veniebant infernales isti ministri, vt te apprehenderent, postquam rogasses quem quærerent,te illis adeò promtè obtulisti, dicendo: Ego sum,quare iam, rogando ex hac tua discipula,quæ adeò te amat,quē quærat,non dicis, Ego sum iste? præsertim, cùm illi te quererent, vt vitam tollerent; hæc vt det,si posset: illi vt te affligerent flagellis, & plagis conciderent; hæc vt vngat plagas tuas.

Magdalena existimans quod Iesus esset hortulanus,dixit ei: Domine, si tu sustulisti eum, dic mihi, vbi posuisti eū, & ego eum tollam. O miserabilis dolor! O inenarrabilis amor! hæc mulier ob vehementiam amoris & doloris habebat oculos cordis ita obscuratos, vt non videret id, quod videbat, quia videndo Iesum, non cognoscebat Iesum,& fortè caussa,cur non cognosceret viuum,erat, quia quærebat mortuum? dicit itaque, si tu sustulisti eum,dic mihi vbi posuisti eum, & ego eum tollam. Quid est hoc, quod tu dicis ô Maria? Ioseph timebat, & non audebat tollere corpus Iesu,

nisi nostu, & cum licentia Pilati, & tu non expectando noctem, neque curando Præsidem, audes dicere, Ego eum tollam? O Maria, si fortè corpus Iesu positum sit in atrio principis sacerdotum, in quo princeps Apostolorum stabat calefaciens se ad ignem, quid ageres? Ego (dicit ipsa) eum tollam. O mira audacia mulieris! O mulier non mulier! Sed dic mihi, ô Maria, si ancilla ostiaria, quæ interrogabat Petrum, roget ex te, quid facies? Ego nihilominus (inquit) eum tollam. O amor ineffabilis! O audacia mirabilis in muliere, quæ nullum excipit locum, nullam respicit personam, sed absolutè dicit, dic mihi vbi posuisti eum, & ego eum tollam.

Sed tu ô bone Iesu, quomodo es oblitus dicere, id quod olim dicebas mu-
Matth. 15. lieri Chananeæ, *Vade, & fiat tibi sicut vis.* Anne oblitus es misereri? Cur non indicas, vbi te ipsum posueris, vt illa te tollat supra cor suum, & eat, vt ferat hunc bonum nuncium tuis discipulis? olim quando tu rogabas ex hac tua fa-
Ioan. 11. mula de fratre suo Lazaro, vbinam posuissent eum, illa subitò te ducebat ad locum: quare iam ipsa rogante vt dicas, vbi teipsum posueris, te illi abscondis, & nō te manifestas? Queso dulcis Magister ne

ne suspendas vltra desiderium eius, tres enim iam sunt dies, cùm te expectat, & vlterius nequit sustinere. Vnde corpus hoc suum diutius viuum cõseruare nequit, nisi tu citò illi præbeas panem corporis tui, cùm tu sis panis viuus, qui dat vitam mundo, & continet in se omnem saporem suauitatis. *Ioan. 6.* *Sap. 16.*

Iesus ergo dixit illi: Maria, ad quam vocem subitò se conuertens, respondit: Magister. Et Dominus subiunxit: Noli me tangere. O mutatio dextræ excelsi! Quam primùm Maria audiuit vocem, qua solebat compellari à Domino, sensit intra se miram dulcedinem, ex qua cognouit, illum esse Magistrum, quem tanto desiderio quærebat. O quanta fuit lætitia quam sensit intra pectus suum, & quomodo liquefacta est anima eius, vt sensit sponsum loquentem & dicentem: Maria: iam magnus ille dolor qui occupauerat animum, citissimè in gaudium vertit; & lachrymæ doloris, in lacrymas amoris. Iam reuiuiscit spiritus eius, & redeunt sensus, quos perdiderat; Et interim dum Iesus vellet prosequi sermonem, non poterat Maria patienter expectare, sed eum interrupit, dicendo: Magister: existimabat enim non amplius esse opus *Cant. 8.*

verbis, postquam inuenisset verum verbum, quod quærebat, vnde sibi melius ducebat tãgere illud diuinum verbum, quàm auscultare verbis. O amor fortis & impatiens, non sufficit Mariæ videre Iesum, & loqui cum Iesu, si etiam non tangat Iesum, quia bene nouerat, à Iesu exire virtutem, quæ sanaret omnes.

Luc. 6.

Iam, ô anima mea, tu etiam sequere affectum piæ huius mulieris; plange præ desiderio Iesu, quære fideliter Iesum, quære illum in caligine & nocte miseræ huius vitæ, vt faciebat sponsa cùm diceret. *In lectulo meo quæsiui per noctẽ quem diligit anima mea.* Quære illum continuis suspirijs & gemitibus, vt faciebat sanctus ille Rex cùm diceret. *Fuerunt mihi lachryma mea panes die ac nocte, dũ dicitur mihi quotidie vbi est Deus tuus;* Quis te sustulit Deus meus? Et vbi te posuerunt? Imò quare mihi sublatus es? Cur me priuasti dulci tua præsentia? Cur abscondis faciem tuam, & obliuisceris inopiæ & tribulationis meæ? Væ mihi, ego ille sum, qui te perdidit; ego te expuli à me. *Iniquitates vestræ,* dicit Propheta, *diuiserunt inter vos & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis.* Ergo peccata mea tulerunt Dominum meum: Et vbi posuerunt

Cant. 3.

Psal. 41.

Psal. 43.

Isaiæ 59.

fuerunt eum? In cruce. O crudelia peccata! quæ fuſtuliſtis mihi Dominum meum; ſed magis crudelia & impia, quæ affixiſtis in ignominioſiſſimo ligno. Vade anima mea, & proſterne te cum Maria Magdalena ad ſepulchrum Domini tui, ibiq; conſiderando quantum pro te paſſus ſit, plora cõpatiendo illi, & tibi ipſi, pro qua voluit mori, vt moueatur ipſe ad compatiendum tibi, & dignetur tibi apparere, & vocare te nomine tuo (vt fecit Mariæ) & cum ipſa te pariter conſolari.

COLLOQVIVM.

ROGA Chriſtũ D. N. vt, quoniam ipſe ita bonus & dulcis eſt illis, qui ipſum diligenter inquirunt, & nunquã eos ſpernit, qui in ipſo ſpem ſuam collocant; tibi concedat gratiam, qua poſſis ad exemplar huius diſcipulæ, ipſum toto corde amare, omnibus viribus quærere, & ex tota anima tua in ipſo ſperare, vt merearis viciſſim ab illo redamari, quæri & inueniri, & vt in omnibus neceſſitatibus tuis nunquam ab illo repellaris.

DOCVMENTA.

1. DISCIPVLI *venerunt videre*

sepulchrum, verùm non permanserunt, idcirco id temporis non meruerunt videre Christum, sed Magdalena, abeuntibus discipulis perseuerauit, vnde digna fuit præreliquis omnibus primò videre Dominum. Deus non remunerat nostras actiones, si in ipsis non perseueremus, quia perfectio boni operis perseuerantia est.

2. *Maria Magdalena, lacrymis obtinuit omnia, quæ voluit, nam flendo impetrauit remissionem peccatorum, fratris resuscitationem, & consolationem, vt videret Christum glorioſum. Ita & nos si cupimus obtinere peccatorum remissionem, spargamus cum Magdalena compunctionis lacrymas: si volumus impetrare auxilium & conuersionem proximorum, spargamus compassionis lachrymas. Denique, si cupimus inueniri digni diuina visitatione & consolatione, profundamus lachrymas deuotionis.*

3. *Maria interim dum sederet iuxta monumentum, non vidit Dominum, sed quando se inclinauit, & introspexit, vidit Angelos, & paulo post ipsum Dominum. Ita nos quando sedemus in oratione & consideratione vitæ Christi, si non sentiamus consolationem, vt desideremus, inclinemus nos & prospiciamus in sepulcrum, videlicet considerando nostras im-*

imperfectiones, humiliemus nos, & cognoscamus nos esse indignos tali gratia, & Dominus non deerit, sed illicò consolabitur nos.

4. *Imò cùm in oratione non inuenimus Christum, hoc est, consolationem spiritualem, non debemus desperare aut desistere, sed perseuerare: cum compunctione & desiderio, & recurrere ad auxilium sanctorũ, vt fecit Magdalena, qua Christum non inueniens, non discessit, sed perseuerauit plangendo, desiderando, & rogando, vsq; dum illum inueniret.*

5. *Magdalena videns se priuatã Christo, plorabat, sedebat, & prospiciebat in monumentum: ita nos cùm sumus priuati gratia Dei, si volumus eam recuperare, debemus plangere peccata nostra, sedere humiliter considerantes nos ipsos: & sæpius introspicere in sepulchrum, considerando illum, qui pro nobis passus est.*

6. *Maria interea dum Christus ipsi loqueretur, illum videbat (quia amabat) sed quia non erat perfecta in fide, ipsum non cognoscebat. Ita nos, dum sumus absque peccato mortali, habemus intra nos gratiam Dei, sed multæ imperfectiones, quas cum illius amore commiscemus, sæpe non sinunt nos cognoscere, nec sentire, quò fit vt simus aridi & frigidi in Dei seruitio,*

tio, absq; vllo gustu spirituali.

7. Magdalena quando cognouit Dominum, accurrit inconsideratè, vt illũ amplecteretur: sed ipse eam repulit his verbis: Noli me tangere, & subiungens præcepit, vt annunciaret Apostolis resurrectionem suam, vt hinc intelligamus Dominum nobis non dare consolationem, vt in ea indiscretè quæramus nos ipsos, sed vt nos per eam adiuti studeamus etiam iuuare & consolari alios.

8. Maria stabat iuxta sepulcrum & plangebat; Vita animæ sanctæ in hac misera peregrinatione est, semper stare iuxta sepulchrum Christi, considerando illius amarissimam passionem, & deflendo continuò propria peccata, propter quæ Saluator mortuus est, & tu priuatus es eius dulcissima præsentia.

MEDI-

MEDITATIO QVINQVAGESIMASEXTA.

QVOMODO DOMINVS apparuerit discipulis euntibus in Emaus.

EVANGELIVM.

ECCE duo ex illis ibāt ipsa die in castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Hierusalem, nomine Emaus: & ipsi loquebantur ad inuicem de his omnibus quæ acciderant. Et factum est dum fabularentur, & secum quærerent, & ipse Iesus appropinquans ibat cum illis; oculi autem eorum tenebantur, ne eum agnoscerent. Et ait ad illos: Qui sunt hi sermones quos confertis ad inuicem, ambulantes, & estis tristes? *Luc. 24.*

Et reſpondens vnus, cui nomen Cleophas, dixit illi: Tu ſolus peregrinus es in Ieruſalem, & non cognouiſti quæ facta ſunt in illa, his diebus? Quibus ille dixit, quæ? & dixerunt: De Ieſu Nazareno, qui fuit vir Propheta, potens in opere & ſermone coram Deo & omni populo: & quomodo eum tradiderunt ſummi Sacerdotes, & Principes noſtri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum. Nos autem ſperabamus, quia ipſe eſſet redemturus Iſrael, & nunc ſuper hæc omnia, tertia dies eſt hodie, quod hæc facta ſunt. Sed & mulieres quædam ex noſtris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum & non inuento corpore eius, venerunt, dicentes ſe etiam viſionem Angelorum vidiſſe, qui dicunt eum viuere. Et ipſe dixit ad eos: O ſtulti & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti ſunt Prophetæ! Nóne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam? Et incipiens à Moyſe & omnibus Prophetis

phetis interpretabatur illis in omnibus scripturis quæ de ipso erant, & appropinquauerunt castello quò ibant, & ipse finxit se longius ire, at illi cogebant eum dicentes: Mane nobiscum Domine, quoniam aduesperascit, & inclinata est iã dies. Et intrauit cum illis. Et factum est, dum recumberet cum illis, accepit panẽ & benedixit ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum, & ipse euanuit ex oculis illorum, & dixerunt ad inuicem: Nonne cor nostrũ ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas? Et surgentes eadẽ hora regressi sunt in Hierusalem.

FIGVRAE.

IVNIOR *Tobias ibat peregrè comitatus Angelo Raphaele, quem nõ cognoscebat, tandem cùm Angelus ipsi & suis dedisset multa bona documenta, disparuit ex oculis eorum.* Tobiæ 12.

Ionathæ filio Regis Saul, postquam 3. Reg. 14.

gustasset de fauo mellis, fuerunt oculi illuminati.

PROPHETIÆ.

Ezech. 34. DISPERSÆ *sunt oues meæ, eo quod non esset pastor.*

Ibidem. *Visitabo oues meas, & liberabo eas de omnibus locis, in quibus dispersæ fuerant in die nubis & caliginis.*

Iob. 4. *Vacillantes confirmauerunt sermones tui, & genua tremencia confortasti.*

CONSIDERATIONES.

1. Punctũ. CONIDERA quomodo isti duo discipuli iuerint instar ouium errantium, dolentes, afflicti, & dubij in fide; & hoc non est mirum, postquam euntes è Ieruſalem, id est, visione pacis, erant spoliati pace animæ suæ. Vnde volebant se consolari mutuo colloquio; sed illorum dolor plus augebatur, quærebant, qui illis daret consilium aliquod, & roboraret, & non inueniebant. Ex altera parte vide benignissimum Iesum, quomodo motus pietate, erga suos carissimos discipulos, venerit sensim instar boni pastoris post illos, vt reduceret ad ouile, & adhuc longius à illis absens, inceperit instat orientis solis immittere

suos

suos radios in illorum corda, quandoquidem aliud nihil mouebat hos discipulos loqui de Iesu, quàm amor & desiderium Iesu. Vnde etiam antequam illis appropinquaret, iam tenebāt illum in corde suo, iam Iesus per caritatē stabat in medio illorum. O quoties dum sumus oppressi tentatione & tribulatione, nec inuenientes in nobis, nec foris aliquam consolationem & propterea nobis videmur longe à Christo remoti, quasi nec ipsi sit curæ de nobis, nec nos amet; & tamen non perspicimus, quod instar solliciti patris, sequatur nos pedetentim numerando nostros passus, & considerando minutissimos labores, quos pro ipsius amore perferimus, vt pro illis postea det nobis tot coronas, & duplicatum præmium in cælo.

Iesus appropinquans ibat cum illis. Propter quatuor causas associauit se his duobus discipulis. Prima Quia erant afflicti, & de Domino scriptum est, quod sit cum illis, qui tribulato sunt corde. *Psal.90.* Secunda, Quia loquebantur de ipso; dixerat autem quod vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine suo, sit futurus in medio eorum. *Matth.18.* Tertia, Vt reduceret illos tanquā oues errantes, ad ouile suū, nempe Ecclesiam. Quarta, Vt demon-

ſtraret ſe eſſe verum & fidelem amicũ, qui non deſit in tempore neceſſitatis; ſicut de illo ſcriptum eſt. Quod ſit refugiũ pauperi, & adiutor in tribulationib⁹. Amicus profectò fidelis, amicus verus, amicus dulcis, qui non ſolùm ſuccurrit & conſolatur amicos, verùm etiam inimicos. O quoties ſuauiſſime Domine, interim dum abſederem longè à te, interim dum peccarem & offenderem tuã bonitatẽ, ibas cõtinuò iuxta me, velut bonus amicus, ex vna parte blandè me exhortans, ex altera adiuuans, iam auferendo occaſiones, iam timore retrahendo à malo, iam amore inuitando ad bonum, donec tandem rupta duritia cordis mei, me traxiſti ad te, dulciſſimis funiculis caritatis tuæ. Beati illi cum quibus ambulat Ieſus, cum quibus proficiſcitur veritas & vita. Nã ambulantes cũ luce, nunquã poterunt errare aut perire.

Pſalm. 9.

Qui ſunt ſermones iſti, dicit Dominus, *quos confertis ad inuicem*; O dulcis Ieſu, forſitan ignoras, de qua re colloquerentur hi diſcipuli, & cauſam cur incederent adeò triſtes? Forſitan expectas, vt reſpondeant tibi, ſe loqui de te, & triſtari tua cauſa; ſi tu non prius te illis manifeſtes, eoſque tua deſiderata præſentia conſoleris? Quod ſi tibi minus ſit pro-

propositum, cur ergo benigne Iesu, ista interrogatione tua, addis tristiam mœrori illorum; vrgendo illos vt dicant id, quod nec dicere possunt, nec sine magno suo dolore recordari? Sed in hoc Dominus fecit instar experientis medici, qui prius ex infimo vult cognoscera morbum & morbi causam, vt ipsi deinceps possit facere aptam & conuenientem medicinam. Voluit Christus hac interrogatione dare occasionem discipulis, vt manifestarent suam spiritualem infirmitatem, quæ non erat alia, quàm ignorantia scriptutarū, & defectus fidei. Et præterea etiam vt quāto plus creſceret dolor ex cōmemoratione cauſę ſui mœroris, tāto maiori deinde replerētur gaudio & cōſolatione, ipſo cognito. *O ſtulti & tardi corde ad credendū.* Hæc reprehenſio amabilis Magiſtri, non procedebat ex indignatione, ſed ex magno amore, non volebat duris his verbis pudore afficere dolentes diſcipulos, ſed vt intrarent in ſeipſos, & cognoſcendo ſuum errorem, & infidelitatem, eſſent dein magis diſpoſiti ad intelligendam veritatē, & doctrinam, quā illis erat traditurus. Stulti profectò erant Iudæi credentes, quod ſine paſſione & ſanguine eſſent redimēdi à Chriſto; præſertim cū

lex

lex tot sacrificijs nihil aliud indicauerit, nec Prophetæ aliud prædicauerint, quã mortem Saluatoris; Sed magis stulti sunt illi, qui videntes quod fuerit necessarium, Christum intrare per portã angustię & tribulationis in gloriam suam, existimant quod possint eam adipisci sine tribulatione. Ingens esset stultitia seruo, qui nollet ingredi per viam, qua incedit Dominus suus. Hereditas solet deuolui ad hæredes cum suis oneribus, & grauaminibus: ita etiam hæreditati gloriæ cęlestis est annexum hoc onus, videlicet pati. Cum hoc onere eam primò habuit Christus, & ideo fuit necessariũ vt pateretur. Cum eo habuerunt pariter
Ioan. 16. Apostoli, quibus prædixit Dominus, quod in hoc mundo essent passuri persecutiones, &c. Et cum eo habuerunt omnes fideles, de quibus ait Apostolus:
2. *Tim.* 3. *Omnes qui piè volunt viuere in Christo, persecutiones patiuntur.* Illi ergo qui absque tribulatione volunt consequi beatitudinem, videtur sibi digniores Christo, sanctiores Apostolis, & meliores omnibus alijs fidelibus.

Et ordiente à Moyse & Prophetis interpretabatur illis scripturas. Considera cũ quanto amore, Magister magistrorũ iuerit inter duos illos discipulos, declarans

rans illis scripturas, & simul donans illis internum lumen, quo possent intelligere. O S. discipuli, si cognouissetis eum, qui ambulabat & loquebatur vobiscū, qui nec erat Propheta, nec Angelus, nec purus homo, sed verbum illud quod loquitur per Prophetas, Dominus Angelorum, & ipse Deus, quomodo præ nimio stupore & dulcedine fuissent liquefacta vestra corda? O quot sancti Reges & Prophetæ desiderarunt videre & audire ea, quæ vos iam audistis & vidistis, & non fuerunt digni. *Beati serui tui*, dicebat Regina Saba ad Salomonem, *qui stant in conspectu tuo, & audiunt sapientiam tuam*; sed multo magis beati vos, ô sancti discipuli, qui meruistis habere Magistrum, non quempiam ex mundi sapientibus, sed ipsam sapientiam increatam. O quàm felix fuisset anima mea, si potuisset audire dulce illud colloquium, si vidisset flammas accensas, quæ exibant de ore Domini, & corda quæ in pectoribus istorum discipulorum ardebant amore! 3. Reg. 10.

Et finxit se longius ire. Quid hoc sibi vult, ô benedicte Iesu? Quando isti tui discipuli tibi exhibebant exiguum amorem remoti à te, c[illegible]endisti te adeò desiderare esse cum illis, & iam, cùm ipsi toti ardent

ardent tuo amore,& desiderant vt maneas pro consolatione illorum,tu vis vlteriꝰ ire,& separari ab ipsis; Certè nō volebat nec poterat benignissimus Dominus deserere illos; imò plus desiderabat manere cum ipsis quàm illimet peterent:non ergo ipsius simulatio erat mēdacium. Nam cùm esset Magister veritatis, nullo modo poterat vti falsitate, sed talē se demonstrabat illis foris, qualem ipsi interius in corde suo ipsum esse credebant. Nam quia existimant esse peregrinum, qui aliò proficiscceretur, Dominus ostendit,se velle vlterius proficisci. Quare hæc ipsius fictio non erat duplicitas aut falsitas, sed vmbra & figura veritatis. Ex altera parte ostendit Dominus,se velle eos deserere, vt plus accenderet illorum desideriū, & ad probādum eorum amorem, quia opera externa,amoris interni sunt indicia. Finxit,vt illum inuitarent, vt illum vrgerent, & darent hospitium, vt per hanc caritatem mererentur ab ipso illuminari & consolationem accipere. Ardebat cor istorum duorum discipulorū dum Dominus ipsis loqueretur in via, sed ignis iste erat occultus,& inclusus in illorum pectoribus. Dominus autem sua fictione voluit suffiare ignem, vn-

de orta

deorta est maxima flamma, quæ non solùm ardebat interius, sed etiam ostendit se exterius suo incendio, quia non tantùm rogabant, sed etiam cogebant, vt maneret cum ipsis.

Sed quis est iste, ô potentissime Domine, qui te potest vrgere & cogere, cùm tu sis ille, cuius voluntati, scriptum est, nullus potest resistere? Certè nullo modo isti discipuli potuerũt te cogere ad manendum, sed tua pietas, & tuus amor singularis fuit, qui tibi intulit hanc violentiam: Hic amor te traxit è cælo in terram, ille te duxit ad crucem, & mortem. Ille tandem te cogit, vt sis ita prodigus in danda tua gratia, tua gloria, & dando te ipso ijs, qui te diligunt. Amor te coegit manere, quando hi discipuli dicebant: *Mane nobiscum Domine*, quia tantus est amor tuus erga homines, vt sint delitiæ tuæ esse cum filijs hominum. Secundo pietas te stringebat, quando dicebant, quia aduesperascit, iam nobis deficit lux, & sine te erimus in tenebris. Vnde non poteras sufferre, vt tui cari discipuli ambularent errantes in tenebris ignorantię & infidelitatis. Tibi, qui es vera *lux, quæ illuminat omnẽ hominem venientẽ in hũc mundum*,

Rom. 9.

Prou. 4.

Ioan. 1.

mundum, placuit manere cum ipsis, & manifestare te illis.

COLLOQVIVM.

ROGA Christum D. N. vt propter ipsum amorem quo voluit illuminare & consolari istos discipulos, dignetur illustrare cor tuum, vt cognoscens in quāris sis tenebris, & quā tibi sit necessaria pro salute animę tuę, ipsius præsentia, scias ad exemplar horum discipulorum, illum sancta quadam violentia, retinere in anima tua, vt refectus ipsius sanctis manibus pane vitæ, in virtute huius cibi possis recedere à vijs seculi, & ascendere ad montem cælestis Hierusalem.

DOCVMENTA.

1. *ISTI duo discipuli priuati Domino, discesserũt Hierosolyma, quæ interpretatur visio pacis, & toti dubij & mesti descenderunt in Emaus, quod interpretatur populus abiectus. Væ illi animæ, quæ sua culpa perdit Christum, & priuatur ipsius gratia, quia subitò perdit interiorẽ pacem, & tota plena tenebris & inquietudine, ex anima electa, fit reproba & abiecta.*

2. *Non legitur in scriptura, quod Dominus apparuit Matri suæ, sed solùm illis quę*

qui adhuc erãt imperfecti, & dubij in fide, quales fuerũt Apostoli, & particulariter Petrus, Thomas, Magdalena, & illi duo discipuli; vt daret exemplum prælatis & pastoribus animarum, qui debent peculiariter vigilare & attendere istis ouibus, quæ magis sunt exposita periculo perditionis & infernali lupo, vnde has peculiari sollicitudine debent visitare, adiuuare, & consolari.

3. Christus vniuersorum Dominus, non dedignatur ambulare in habitu peregrini, vt inueniat & consoletur hos discipulos, etiamsi essent inferiores, & minores reliquis, vt pudorem nobis incutiat, qui erubescimus agere cum personis humilibus & abiectis, sed volumus videri agere cum honoratis.

4. Quando præoccupamur ab aliqua tristia & spirituali tædio, aut animo perplexi sumus spiritualiter, optimum remedium est, loqui, aut legere, aut cogitare aliquid de Deo, instar illorũ discipulorum, qui cum essent dolentes, & dubij ob mortem Christi, loquendo de ipso, sunt illuminati, & receperunt consolationem.

5. Isti duo discipuli, etiãsi essent adhuc carnales, & vacillarent in fide, nihilominus cũ de Christo loquerẽtur, meruerũt illũ habere socium: Adeò res bona & vtilis est,

est, cogitare & loqui de Deo, vt etiamsi sumus imperfecti, non dedignetur venire & stare in medio nostri, secũdum promissionem factam: vbicunque fuerint duo, vel tres congregati in nomine suo, se in medio eorum futurum.

6. *Si fuit necessarium Christum pati, & per portam angustam passionis intrare in gloriam suam, quomodo cogitamus nos intraturos, onustos peccatis, si in hoc mundo nihil volumus pati? Stulti igitur sunt illi, qui absque tribulatione & multa patientia putant se intraturos gloriam alienam cùm Christus sine passione nequiuerit intrare in propriam.*

7. *Appropinquantes Castello ad quod ibant, finxit Christus se longius ire, & velle deserere discipulos. Aliquando Dominus fingit, quando sumus oppressi aliqua tribulatione aut tentatione, quasi se à nobis subducat & deserat, non quod verè velit nos deserere, sed vt probet nostram constantiam, & vt plus accendat in nobis desiderium, vt videlicet ad imitationem istorum discipulorum, nostris precibus ipsum cogamus ad præstandum nobis auxilium & consolationem.*

8. *Discipuli cogebant Dominum, quem existimabant peregrinum, vt maneret & cœnaret cum illis: Ita nobis non est expe-*

dandum,

ſtãdum, donec rogemur à pauperibus & peregrinis, ſed debemus illos orare & cogere, vt recipiant à nobis caritatem, quia maius beneficium recipit, qui facit opus caritatis, quàm is cui impenditur.

9. Diſcipuli interea dum audirent Dominum explicantem Scripturas, non fuerunt illuminati, ſed quàm primùm fecerunt illum diſcumbere, & dederunt illi cœnam aperti ſunt ipſis oculi, & eum cognouerunt: Quia non illi qui audiunt legem, ſed qui opere exequuntur, iuſtificantur, & multo maiorem Dei cognitionem aſſequimur in exercitio operum caritatis, quàm multa auſcultatione, lectione, aut diſputatione diuinarum ſcripturarum.

10. Chriſtus non ſolùm vult deſiderari & rogari à nobis, ſed cogi; non exiſtimemus nos vnquam conſecuturos aliquam virtutem aut perfectionem ſolùm deſiderando aut petendo illam à Deo, ſi non cõiungamus etiam coactionem, pugnando viriliter contra difficultates, qua occurrunt, quia ſcriptum eſt, quod regnum Dei vim patiatur, & quod violenti illud rapiant.

11. Chriſtus etiam ſi ſecundùm carnẽ aſcendiſſet ad altiorẽ & glorioſum ſtatum, retinuit tamen priſtinam humilitatem, & manſuetudinem, non dedignans agere & inſtruere

& instruere istos duos discipulos, etsi alijs essent inferiores: Ita illi qui euehuntur ad dignitates, & statum altum, non debent dedignari agere cum pauperibus & humilibus in ipsorum necessitatibus. Similiter concionatores non debent intermittere, quin instruant sua doctrina auditores, etsi sint pauci & vilis conditionis.

MEDITATIO QVINQVAGESIMA SEPTIMA.

QVOMODO DOMINVS APparuerit omnibus discipulis simul congregatis.

EVANGELIVM.

Luc.24. Ioan.20.

CVM serò esset die illo vna sabbathorum, & fores essẽt clausæ, vbi erant discipuli congregati propter metũ Iudæorum, venit Iesus, & stetit in medio

medio eorum, & dixit eis; Pax vobis, ego sum, nolite timere. Conturbati vero & perterriti existimabant se spiritum videre, & dixit eis: Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra? Videte manus meas, & pedes, quia ego ipse sum, palpate & videte, quia Spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere, & cùm hoc dixisset, ostendit ijs manus, & pedes, & latus. Gauisi sunt ergo discipuli viso Domino. Adhuc autem illis non credẽtibus, & mirantibus præ gaudio, dixit. Habetis hic aliquid quod manducetur? At illi obtulerunt ei partẽ piscis assi, & fauũ mellis. Et cùm mãducasset coram illis, sumẽs reliquias dedit eis, & dixit eis: Hæc sunt verba quę locutus sum ad vos, cũ adhuc essem vobiscum, quoniã necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysis, & Prophetis, & psalmis de me. Tũc aperuit illis sensum, vt intellgerent scripturas, & dixit eis: quoniam scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurge-

re à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Ierusalem. Gaudisi sunt ergo discipuli viso Domino, & dixit eis iterum: Pax vobis. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Hoc cùm dixisset insufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum sanctũ, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt.

FIGVRAE.

Gene. 45. *IOSEPHVS Patriarcha, manifestans se fratribus suis in Aegypto, cùm illi starent attoniti, & perculsi timore, dixit: Ego sum frater vester Ioseph, nolite timere: & amplexatus ac exosculatus est eos magno amore.*

Tob. 12. *Angelus Raphael aperiens se Tobiæ & filio eius, cùm ipsi essent omnino perturbati, dixit: Pax sit vobis, nolite timere.*

PROPHETIA.

Ezech. 34. *EGO ipse requiram oues meas, & visitabo eas, sicut visitat pastor gregem suum*

suũ in die, quando fuerit in medio ouium suarum dissipatarum.

CONSIDERATIONES.

CONSIDERA quomodo iam aduenerit nox, & inceperit obscurari lumen fidei, & infrigidari calor caritatis in pectoribus Apostolorum, Vnde ex vna parte attoniti ob mortem sui pastoris: ex altera parte pleni timore propter metum Iudæorum erant velut oues errantes, inclusi & congregati in cænaculo. Hic immensum horum dolorem potes cogitare, quod cùm ipsi recordarentur, quomodo in eodem loco, ante tres dies adfuisset Magister, & tanta cum humilitate lauisset eorum pedes; vbi etiam tãto amore cibasset illos proprio corpore & sanguine, & consolatus esset dulcissimo quodam sermone, duplicatus fuerit ipsorum dolor; & cognoscentes ex vna parte propriam ingratitudinem, eò quod in maxima necessitate eum adeò turpiter deseruissent, toti erubescebant, ex altera verò audientes modò ex mulieribus, modò a Petro, & modò à duobus discipulis, noua de resurrectione & apparatione Domini sui, hærebant fluctuantes, inter spem & metum, dubij ecquid facerent aut crederent. 1. Punctũ.

Ex altera parte intuere magnum illum pastorē Christum Iesum, quomodo circumiens & magna solicitudine & amore collīgens reliquias sui gregis dispersi, voluerit etiam suis dilectis Apostolis, qui propter ipsum dolebant, impertiri suam consolationem; Ecce quomodo inter lacrymas & suspiria comparet cum noua luce, & candidissimis vestibus indutus in medio eorum, dicens:

Malac. 4. *Pax vobis.* Stetit Dominus in medio Apostolorum, vt sol iustitię in medio stellarum, vt eas illuminaret; stetit pulcerrimus ille flos campi in medio liliorū, vt

Cant. 2.

Isaiæ 9. ea adornaret, stetit princeps pacis in medio suorum militum, vt ijs adderet animum & robur. Stetit vt Magister gentium inter suos discipulos, vt eos eruditet. Stetit vt pater futuri seculi, inter suos filios, vt eos pacificaret & consolaretur. Stetit vt caput corporis mystici Ecclesiæ, inter sua membra, vt ea viuificaret. Stetit tandem velut pastor inter oues suas dissipatas, vt eas colligeret & reduceret ad ouile.

Isaiæ 55.

Isaiæ 9.

Coloss. 1.

Ezech. 34.

Et dixit illis: *Pax vobis.* Hîc considera magnum zelum Saluatoris, & quantū studij posuerit in consolandis discipulis, visitando omnes amore & familiaritate multo maiori, quam amicus amico soleat

leat exhibere. Non mutauit naturā mutato ſtatu, non indignabatur Petro, eò quod ipſum negaſſet, nec alijs eò quod ipſum deſeruiſſent, neque reprehendit aſperè eorum infidelitatē, ſed illa eadē affabilitate, qua prius eos ſalutabat, & imprecabatur pacem. Et quid aliud poterat dare Deus pacis & dilectionis, quā pacem & amorem; & quid aliud præter pacem poterat dare ille, qui eſt ipſa pax noſtra, qui ſanguine ſuo in cruce pacificauit omnia, quæ in cælo & in terra? Sed quæ pax eſt iſta, ô Domine, quam das tuis diſcipulis, atque adeò nobis omnibus in perſona ipſorum? Non eſt illa quā mundus dat ſuis amatoribus, quandoquidem illa eſt grauis pœna, non verò pax, ſed nobis das illam pacem, quam voluiſti annunciari per Angelos tuos hominibus bonæ voluntatis, videlicet pacem hominum inter ſe in vinculo caritatis, pacem animæ cum ſeipſa in quiete & bona conſcientia, & deniq; pacem animæ cum Deo, quam tu inſtar columbæ illius, quæ portabat ramum virentis oliuæ, ſignum pacis, ad arcam, nobis attuliſti è cælo, reconcilians nos morte & paſſione tuo æterno Patri.

Luc. 2.

Gen. 8.

Videte manus meas, & pedes, quia ego ipſe ſum. Conſidera etiam benecolen-

tiam Domini, quantū laboret, vt reddat discipulos certos de sua resurrectione, non est contentus, quod proprijs oculis se vidissent, & quod audientes ipsius verba, cognouissent suam vocem: sed voluit etiam, vt se attingerent; & quamuis corpus glorioſum ob suam subtilitatem nō posſit tangi, nihilominus operabatur Dominus in eo mirabiliter, ex vna parte ostendens se palpabilem, vt confirmaret discipulos in fide; & ex altera ostendens se impassibilem, & immortalem, vt inuitaret eos ad prēmium immortalitatis. Retinuit etiam Dominus in corpore cicatrices vulnerum suorum, vt tolleret ex eorū mentibus omnem dubitationem, & sanaret in ijs plagas infidelitatis. Monstrabat igitur ijs *manus, pedes, & latus*; ostendebat manus, vt incitaret ad pugnam; ac si dixisset, Videte manus quibus ego fideliter pugnaui pro vobis, vos etiam libenter sustinete molestiam in meo seruitio. Monstrabat illis latus, vt prouocaret ad se amandum, ac si dixisset: Videte latus apertum, & cor meum vulneratum, & cognoscetis quantum vos amauerim, vt & vos diligatis me. Monstrabat denique ipsis pedes, vt stabiliret in perseuerantia, vt sicut perseuerauit vsque ad finem re-

demptio-

demptionis eorum: ita & ipsi perseuerarent in obedientia diuinorum suorum mandatorum vsque ad mortem.

Voluit etiam Dominus retinere cicatrices vulnerum suorum, & cum ijsdem conscendere cælos, vt ostenderet nobis, se cõtinuò velle nostri meminisse, quandoquidem, vt dicit per Prophetam: *Nos scriptos habet in proprijs suis manibus.* *Isaiæ 49.*
Ita tu etiam anima mea non debes vnquam obliuisci quantum pientissimus redemtor tuus fecerit, & passus sit pro tua salute, cùm, ne tui obliuisceretur, voluerit retinere signa in corpore suo glorioso, in testimonium maximi amoris erga te. O beati discipuli, quibus concessum fuit, tangere diuinam illam personam, & admouere os sacris illis cicatricibus, dulcioribus super mel & fauum! O anima mea, quandoquidem non fuisti digna esse illo tempore, nec inueniri in illo felici choro, in cuius medio stetit Saluator, non minus tamen mente cogitando, te illos videre tuis oculis, audire auribus, tangere manibus, & posse amplecti sanctos illos pedes, & exosculari amabiles illas cicatrices, deberes præ dulcedine liquescere, & deficere animo.

Habetis hîc aliquid ad manducandũ

& ipsi apposuerunt ei partem piscis assi, & fauum mellis. Considera quousque pertingat beneuolentia Saluatoris. Cogita si esset Monarcha quispiam totius orbis, qui ex amore quo afficeretur erga hominem aliquem abiectissimũ & rusticum, veniret vt inuiseret illum in sua casa rusticana, ibique familiariter cum illo ageret, apprehenderet manu, faceret sibi assidere, & manducaret cum eo, illos ipsos cibos, quos ille rusticus pro se parauisset: certè esset ingẽs amor & gratia. Iam quo Rex cæli & terræ, suprema illa maiestas, cuius vultum timent intueri Seraphini, & cuius vocem audiens quondam populus Israel, rogabat Moysen dicens: *Nõ loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur:* Ille DEVS tam terribilis, cuius arcã testamenti cùm quadam vice intuiti essent Bethsamitæ, eorum plusquam quinquaginta milia obierunt, & Oza Sacerdos cùm eandem voluisset attingere cecidit mortuus. Iam quod nostri causã tantum sit humiliatus, vt veniat in propria persona visitatum pauperes quosdam piscatores, conuersetur cum ijs familiariter, velit contrectari ab illis, & sumere familiariter cibum, illa est humilitas & beneuolentia talis, qualem nunquam princeps ali-

Exod. 20.

1. Reg. 6.

aliquis huiꝰ mũdi vlli exhibuit, sed eam solus Deus voluit hominibus exhibere.

Considera ex alia parte cibum quo Dominus voluit vesci: vsus est videlicet cibo conuenienti suæ naturæ, qui erat piscis assus, & fauus mellis. Nam ipsius sacra humanitas fuit ille piscis, quæ nostra causa igne passionis assata est in ligno crucis; & ipsius diuinitas erat dulcissimus ille fauus mellis, quæ interna satietate pascit animas electorum. De hoc ipso postquam Dominus comedisset, dedit etiam suis Apostolis, & in persona ipsorum reliquit omnibus nobis, cibans nos pretiosissimo corpore & sanguine suo, in sanctissimo Sacramento, in quo inuenitur piscis sanctæ ipsius humanitatis, & mel dulcissimum diuinitatis: Hic cibus primò videbatur durus, cùm eum apponeret suis discipulis, vnde multi discedebant ab ipso dicentes: *Durus est hic sermo, quis potest eum audire?* Quare benignus Dominus, vt eum redderet gratiorem gustui animæ nostræ, assauit illum igne caritatis suæ, & reddidit dulcem melle diuinæ suæ dulcedinis. O cibum verè dulcissimum, cibum suauissimum, qui (vt scriptum) *continet in se omnem saporem suauitatis!* Ioan. 6. Sap. 16.

COLLOQVIVM.

ROGA Christum D. N. vt sicut ipse instar boni pastoris voluit visitare & dare pacem suis discipulis, qui tanquam oues errãtes, erant inclusi in illa domo: dignetur suo sancto timore claudere, & custodire portas sensuum tuorum, & simul vinculo caritatis suæ, tali modo cor tuũ vnire Deo, & proximo tuo, vt mereatur ex ipsius læta præsentia consolationem accipere, & possit in hac vita, & in alia inuenire & gaudere sancta illa pace, quam dedit Apostolis suis in terra, & qua electi Dei in cœlo perfruuntur.

DOCVMENTA.

1. CVM *Apostoli essent simul congregati, ob timorem ianuis & fenestris clausis, venit Christus, & stetit in medio illorum. Si volumus, vt Dominus sua gratia sit inter nos, debemus primò habere ipsius sanctum timorem, de quo est scriptum, quod timor, Domini expellat peccatum. Secũdò debemus esse vniti vinculo caritatis cum nostris proximis. Nam Apostolus, ait:* Habete pacem adinuicem, vt Deus pacis sit vobiscum. *Tertio debemus esse collecti, & observare portas*

portas sensuum nostrorũ. Nam scriptum est, quod mors inter per fenestras

2. Dominus apparuit Apostolis vesperi; per vesperam intelligitur finis & perfectio operis, vt intelligamus quod se non ostendat perfectè anima in principio, quãdo incipit bene agere, sed in fine quando perseuerauerit vsque ad extremum, tunc illam reddit dignã beatifica visione.

3. Dominus dedit pacem suis discipulis. Quando in nobis sentimus aliquem remorsum, nec habemus illam pacem conscientiæ quam desideramus, est signum quod non seruiamus Christo ea sanctitate & puritate, qua cõuenit; simus ergo verè discipuli Christi & pax eius erit nobiscũ.

4. Cùm Christus vellet vt discipuli cognoscerent, quod ipse verè esset Dominus, monstrauit illis manus, pedes, & latus. Ex quo intelligimus quod sit efficacissimum medium, ad imprimẽdum in animam aliquam cognitionem, & amorem Christi, si consideremus quantum egerit, & passus sit pro nobis.

5. Cùm discipuli adhuc essent timidi, & tardi ad credendam veritatem resurrectionis, Dominus priusquam illis loqueretur de alijs rebus, familiariter cum illis sumpsit cibum, dans nobis in hoc exemplum, vt quãdo volumus adiuuare peccatores,

tores, curemus prius, vt eos attrahamus benéuola, & benigna conuersatione, consentiendo illis in nõnullis, quibus licet, ob eorum infirmitatem, & (vt solet dici) debemus intrare cum eo quod est illorum; exire autem cum nostro.

6. Apostoli offerebãt Christo piscẽ assum & fauũ mellis: si volumus esse instar grati cibi ori Christi Domini nostri, simus assi pisces per mortificationem carnis, & fauus mellis per deuotionem mentis.

7. Postquam Apostoli vnà cum Christo cibũ sumsissent, aperuit illis sensum, & declarauit scripturas, quæ erant de ipso, vnde illi dubio procul magna voluptate repleti sunt: Tunc anima est perfectè illuminata, & capax diuinorum secretorum effecta, quin immò repleta spirituali consolatione, quando dignè accedens ad mensam Christi, pascitur ab ipso pretioso corpore & sanguine sponsi sui.

8. Sicut misit me viuens Pater, ita ego mitto vos, *dicebat Dominus ad Apostolos; Pater non misit Filium in hunc mundum vt regnaret, sed vt pateretur & portaret crucem pro nobis: Ita Christianus, & multo magis Religiosus, non existimet se vocatum ad quietem, & gaudia huius mundi; sed ad magnos labores, & dura qualibet pro Christo perpetienda.*

9. Christus

9. *Christus dedit Apostolis potestatem remittendi peccata, dicens fore, & quorum peccata ipsi remisissent in terra, in cælo remissa essent: O quam bonus & suauis est Dominus, quandoquidem nō vult instituere de nobis aliud iudicium in cælo, quàm illud ipsum, quod nos ipsi instituimus in terra! Si igitur peccata nostra horremus, & cupimus fugere iudicium Dei, non debemus reformidare iudicium illorum, qui sunt aquè infirmi & peccatores, vt nosipsi.*

* * *

MEDITATIO QVINQVAGESIMAOCTAVA.

QVOMODO DOMINVS apparuerit Discipulis, praesente Thoma.

EVANGELIVM.

Ioan. 20. THOMAS vnus de duodecim qui cognominatus Didymus, non erat cũ eis, quando venit Iesus: Dixerunt ergo illi alij discipuli. Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & manum in latus eius, non credam. Et post dies octo iterum erant discipuli eius intus, & Thomas cum eis. Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio, & dixit: Pax vobis. Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc,

huc,& vide manus meas,& affer manũ tuam,& mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis. Respõdit Thomas,& dixit ei:Dominus meus, & Deus meus, Dicit ei Iesus: Quia vidisti me Thoma: credidisti: Beati qui non viderunt & crediderunt.

PROPHETIÆ.

IN die tribulationis meæ Deum exquisiui manibus meis, & non sum deceptus: *Psal. 76.*

Vias eius vidi & sanaui eum, & reduxi, & reddidi consolationes ipsi, & lugentibus eius. *Isaiæ 57.*

Cùm ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam. *Psal. 36.*

CONSIDERATIONES.

CONSIDERA mirabilem prouidentiam Domini, vt cui non satis fuerit, facere certiores Apostolos, & fideles illius temporis, de sua resurrectione, sed prouiderit insuper, ne superesset etiam vllum dubium apud posteros de hac veritate, quia articulus huius mysterij erat tanti momenti, vt supra ipsum esset fundanda tota nostra fides & religio. In quem sensum illud ab Apostolo dictum: *1. Punctũ.*

1. Cor. 15. dictum: *Si Christus non resurrexit, inanis est fides nostra.* Vnde nec casu euenisse putandū est, quod Thomas præsens non fuerit; immò nec quod dubitauerit: sed erat peculiaris Dei prouidentia. Nam tarditas Thomæ in credendo, plus iuuit Ecclesiam, quàm mulierum promptitudo; nam hæc illas solas iuuit: At dubitatio Thomæ, & obfirmata incredulitas, nisi prius Christum tetigisset, reddidit hoc mysterium certum ac euidens, & sustulit è pectoribus nostris omnē ambiguitatem, & dubitandi occasionem.

Considera deinde magnam afflictionem, quam percepit hic discipulus; hinc quidem cognoscens aliorum Apostolorum verba, & gaudium quo fruebantur ex eo, quod viderant Dominum; inde verò videns se non fuisse dignum habitum, vt reliquis adesset, vt vnà lætaretur ex visione sui desiderati Magistri: Quia (vt credibile est) incredulitas hæc Thomæ, non tam fuit ex defectu fidei, quàm ex magnitudine amoris & desiderij erga Saluatorem; vt contingit illi, qui vehementer aliquid desiderat, si ipsi cōcedatur, vix potest induci vt idipsum, credat, donec oculis videat, & manibus contrectet. Nam si Thomas vere non cre-

credidisset, non permansisset cum reliquis Apostolis, nec nisi vehemẽter Dominum amasset, non ita pridem dixisset tanto animo, cùm reliqui omnes timerent ire cum Christo. *Eamus & nos, & moriamur cum eo.* *Ioan. 11.*

At quid facturus es dulcissime Domine, forte propter vnum solum vis redire, vt te ostendas & denuò contrecteris, vt de integro tot argumẽtis demonstres tuam resurrectionem? non decet gloriam & magnitudinem tuam tanta submissio; sufficit quod te viderit Petrus, princeps Apostolorum, & quod te viderint omnes alij Apostoli simul collecti: poterat Thomas his esse contentus, & credere personis tantæ authoritatis. Sed ô quàm bonus & suauis est Dominus, & quàm promptus ad impertiendum se illis qui ipsum desiderant! Nam quantumcunque laboris ac studij impendit, vt reliquos Apostolos redderet certos de sua resurrectione, tantundem voluit adhibere etiam propter vnicum Thomam; nec mirum. Ipse enim erat bonus ille pastor, qui relinquens nonaginta nouem oues, descendit in hoc nostrum desertum, vt vnam solam quæreret. *Luc. 15.*

Considera præterea mirabilem sapien-

pientiam Saluatoris, cùm enim posset adiuuare Thomam apparendo illi priuatim (vt fecit Magdalenæ & Petro) voluit facere in præsentia omnium Apostolorum, vt sua apparitio, nõ solùm esset vni Adiumento, sed etiam ad maiorem confirmationem aliorum cederet, vt quò plura testimonia, eaq; magis firmiora essent comprobandæ veritati: eò certior, & magis stabilis esset fides nostra; & postremò denique, vt quo pluribus argumentis, & euidẽtioribus signis eosdem in suæ veræ resurrectionis fide confirmasset, eò etiam maiorem in illorum cordibus flammam sui amoris accenderet.

Et dixit Thomæ: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas: & affer manũ tuam, & mitte in latus meum:* Verisimile est quod B. Thomas, quàm primùm vidit Dominum, audiuitq; repeti ab eo illa verba, quę dixerat, dum adhuc esset obstinatus in sua incredulitate, statim se ad eius pedes abiecerit, non volens eum tangere; sed Christus qui aliter pro nostra vtilitate, & fructu disposuerat; apprehendit manum eius, volens omnino ab ipso contrectari, vt & ipse ad confirmationem aliorum posset aliquando dicere, quod dixit S. Ioannes

nes: *Quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ, annunciamus vobis.* O quam est bonus Deus! quantum facit, vt adiuuet vnã animam, & quàm facilè cõdonat ijs, qui ad ipsum rediêunt, & denique quanto promtior est ad consolandum, & bene merendum, quàm ad castigandum. 1. Ioan. 1.

O Thoma quàm beatæ fuerunt tuæ manus! & quanta fuit gratia, potuisse mittere manus in illud dulcissimum & salutiferum latus Redemptoris; in illud latus, per quod sumus liberati ab ira, sanati à culpa & ad gloriam euecti. Quomodo putandum est continuò arsisse cor B. Thomæ, cùm cogitaret se misisse manus in illas amabiles fenestras, in illam ardentem fornacem amoris Iesu? Vnde quid mirum fuit, si subitò vt tetigit sacrum corpus, ex quo exibat virtus quæ sanabat omnes, ipse etiam curatus à sua infidelitate, & cognoscens lumine fidei diuinitatem Christi; exclamauerit, dicens: *Dominus meus, & Deus meus?* Luc. 6.

Dixit Dominus Thomæ. *Quia vidisti me, credidisti; beati qui me non viderunt & crediderunt.* Magnæ consolatio-

nis

nis sunt hæc verba omnibus nobis, qui etiamsi non viderimus Dominum, Saluatorem nostrum in carne, nihilominus sumus illius ore non minus beati appellati ijs, qui ipsum viderunt & tetigerunt, si tamen verè crediderimus in illum, quod tunc faciemus, si id opere exercuerimus, quod fide credimus, & non simus illis similes, de quibus dixit Apostolus: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Certè respectu tot Regum & Prophetarum, qui desiderabant videre Christum, & nō potuerunt videre, beati poterant appellari Apostoli, sed in hac parte non sumus illis beatiores, si credentes in illum non visum, toto corde ipsum amemus, & ei seruiamus.

Tit. 1.

Sed quis mihi dabit hunc amorem, & dulcem affectum erga Dominum meum, vt cùm non fuerim dignus videre illum in carne, illum saltem viua fide & caritate videam, & tangam spiritu, instar mulieris illius sanctæ, quæ in tanta turba comprimente benedictum Iesum, illum sola sua fide tetigit, & fuit ab ipso sanata? O si dignareris, mi Domine, vocare me, vt alium quendam incredulum Thomam, vt possem extendere aliquantulum manum meam ad ardentem

Matth. 9.
Marc. 6.

tem illam fornacem tui sacri pectoris, ô quomodo inflãmaretur & arderet amore anima mea! Quis dabit mihi pennas columbę, vt possim volare, & requiescere in cauerna huius diuinæ maceriæ, in dulcibus fissuris huius viuæ petræ? *Psal. 54.* *Cant. 2.*

COLLOQVIVM.

ROGA Christum D. N. vt quemadmodum voluit ipse incredulo discipulo monstrare vulnera manuum ac lateris, & tactu sui sacri corporis liberare illum ab errore mentis; ita velit per virtutem istarum sacrarum plagarum, illuminare intellectũ tuum, & inflammare voluntatẽ, vt cognoscendo quantum ipse fecerit & passus sit pro te, tu etiam impendas omnes tuas potentias, & operationes ad seruitium Maiestatis ipsius, agnoscendo illum cũ fideli Thoma, vt Dominum, qui proprio sanguine te emit; illum vt Deum, qui tanto amore te creauit, vt possis assequi illam beatitudinem quam ijs promisit, qui in ipsum perfectè credunt, eique fideliter deseruiunt.

DOCVMENTA.

1. THOMAS *quia abfuit ab ea domo, in qua erant Apostoli, non potuit*

tuit videre Christum rediuiuum. Deus solet multas consolationes & spiritualia dona impertiri ijs, qui vnà viuunt in domo sanctæ religionis, quibus priuantur illi, qui foris sunt.

2. Isti nolunt credere ad exemplũ Thomæ, nisi videant & tangant, qui tamdiu bene viuunt & Deo seruiunt, quamdiu illis concedit prosperitatem, & bona huius vitæ. Similiter religiosi, qui in operibus diuini seruitij tamdiu se fatigant, & sunt diligentes, dum Dominus illis dat gustum & dulcedinem spiritualem, quæ si deficiat, etiam ipsi fatigantur & tepescunt.

3. Christus primò apparuit omnibus discipulis simul, sed quia Thomas nõ erat cum illis, apparuit denuò propter ipsum solum; Idipsum pastoribus animarum & prædicatoribus agendum, ne existiment laborem suum esse malè positum, etiamsi non adiuuent nisi vnicam animam, cùm Dominus ita sit mortuus pro vno, sicut pro omnibus, & eandem laborem susceperit vt iuuaret vnum Apostolum, quàm anteà pro omnibus, subijsset.

4. Thomas interim dum esset foris, separatus ab alijs Apostolis, fuit afflictus tentatione: sed rediens & manens cum illis, in eadem domo clausis ostijs meruit visitari à Christo: Ita quando obruimur

aliqua

aliqua tentatione, interim dũ vagamur per occasiones, & non custodimus cor ac sensus nostros, nec ad illos, qui nobis possunt dare consilium, confugimus, non cogitemus nos vnquam adiuuandos, aut consolationem percepturos à Domino.

5. *Tunc Thomas factus est fidelis, & confessus est Christum, quando misit manum & tetigit latus eius: Ita nunquam fides erit perfecta si nõ opere compleamus id, quod mente credimus.*

6. Quia me vidisti, *dicit Christus Thomæ*, credidisti beati illi qui nõ viderunt, & crediderunt. *Illi facilè seruiunt Christo, quibus ipse dat consolationes spirituales: at seruire ei sine consolatione, vt est res maioris difficultatis, ita etiam est maioris meriti, & beatitudinis in cælo amplioris.*

7. *In vitæ exordio, Christus veniens in mundum pacem attulit, sicut dixit Angelus pastoribus; in exitu item, iam, iam à nobis abiturus nobis pacem reliquit, vt intelligeremus totam vitam & perfectionem hominis Christiani, in pace & caritate consistere.* Luc. 2.

MEDI-

MEDITATIO QVINQVAGESIMANONA.

QVOMODO DOMINVS apparuerit discipulis dum piscarentur

EVANGELIVM.

Ioan. 21.

POSTEA manifestauit se iterum Iesus ad mare Tiberiadis. Manifestauit autem sic. Erant simul Simon Petrus, & Thomas, & Nathanael, & filij Zebedæi, & alij ex discipulis eius duo. Dicit eis Simon Petrus: Vado piscari. Dicunt ei: Venimus & nos tecum. Et exierunt & ascenderunt in nauim, & illa nocte nihil prendiderunt. Mane autem iam facto, stetit Iesus in littore, nõ tamen cognouerunt discipuli quia Iesus est. Dicit ergo eis Iesus: Pueri, nunquid

quid pulmentariũ habetis? Reſponderunt ei: non. Dicit eis: mittite in dexteram nauigij rete, & inuenietis. Miſerunt ergo, & iam non valebant illud trahere præ multitudine piſcium. Dicit ergo diſcipulus ille quem diligebat Ieſus, Petro: Dominus eſt. Simon Petrus cùm audiſſet quia Dominus eſt, tunica ſuccinxit ſe (erat enim nudus) & miſit ſe in mare. Alij autem diſcipuli nauigio venerunt (non enim longè erant à terra, ſed quaſi cubitis ducentis) trahtẽes rete piſciu.?. Vt ergo deſcenderunt in terram, viderunt prunas poſitas, & piſcem ſuperpoſitum, & panem. Dicit eis Ieſus: afferte de piſcib. quos prendidiſtis nunc. Aſcendit Simon Petrus, & traxit rete in terram, plenũ magnis piſcibus, centũ quinquaginta tribus: & cùm tanti eſſent, nõ eſt ſciſſum rete. Dicit illis Ieſus: Venite, prandete. Et nemo audebat diſcumbentium interrogare eum: Tu quis es? ſcientes quia Dominus eſt. Et accepit Ieſus panem, & dabat eis, & piſcem ſimiliter.

PROPHETIA.

Ezech. 47. AQVÆ *autem descendebant in latus templi dextrum ad meridiem altaris,* (de quibus aquis paulò inferius subiungit,) *& erunt pisces multi satis, postquã venerint illuc aquæ istæ, & sanabuntur: & viuent omnia, ad quæ venerit torrens. Et stabunt super illa piscatores; ab Engaddi vsq; ad Engallim siccatio sagenarum erit: plurimæ species erunt piscium eius sicut pisces maris magni, multitudinis nimiæ.*

CONSIDERATIONES.

1. Punctũ. DISCIPVLI *tota nocte piscantes nihil ceperant*, sed non est mirum, cùm illi qui laborant sine Christo (qui est vera lux nostra) laborent in tenebris & in nocte, vnde etiam laborant absque fructu, cùm ipse dixerit: *sine me nihil potestis facere.* Hoc modo populus Hebræus antequam nasceretur mundo sol iustitiæ, laborabat noctu, sub vmbra legis, & ideo nihil cepit, cùm non potuerit vnquam conuertere vllam aliam nationem ad cultum veri Dei. Mundus verò iste, ante aduentum Saluatoris erat velut mare Sodomorũ mortuum, amarissimum, & omnino sterile absque pis-

Ioan. 15.

cibus:

cibus; sed postquam salutaris ille torrens descriptus à Propheta Ezechiele, fons ille vitæ, Christus Iesus, descendens ex dextra Patris, exijt ex templo cælestis Hierusalem, & intrauit hoc mare, subitò aquæ illius sunt sanatæ, & reddit æ dulces & fœcundæ ita, vt missis postea piscatoribus suis (qui fuerunt sancti Apostoli) piscarentur hinc inde in isto mari, & mittentes retia prædicationis Euangelicæ, nō amplius in siniſtram, sub authoritate legis, sed ad texteram in verbo Christi ceperint piscium multitudinem copiosam, & mundum ipsum sancta fide repleuerint. *Ezech. 47.*

Considera quo modo discipuli, post multam defatigationem recordantes sui Magistri, qui illis solebat cōsulere, & adiuuare in laboribus, & videntes se iam illius præsentia priuatos, dolentes dixerint intra se: Vbi nunc est Magister noster? sed benignus Iesus, de quo scriptum est, quod exaudiat desiderium pauperum, & quod sit proximus illis, qui illum inuocant in veritate, subitò se illis ostendit, stans in littore. Sed quare, ô dulcis Domine, rogas ex illis pauperibus & afflictis discipulis, an habeant aliquid ad comedendum? tu qui non indiges nostris bonis, sed es panis ille *Psal. 9.*

Psal. 135. supersubstantialis, qui in cęlo pascis Angelos, & das escam omni creaturæ? fames tua verè non requirebat istum cibum, sed animas & corda tuorum discipulorum, sicut olim quando postulasti ad bibendum à Samaritana, nõ tam fecisti ob sitim illius aquæ, quã sitim salutis ipsius, & quia volebas illi dare aliam aquam viuam, salientem in vitam æternam.

Ioan. 4.

O quoties solet contingere, vt nos instar istorum discipulorũ stantes in mari huius mundi, & mittentes rete in sinistram ad res temporales, piscando honores, diuitias, & alia bona huius mundi, nihil omnino capimus, cùm res terrenæ nihil sint cõparatione cælestium; nihil etiam sunt, quia nõ satiant cor nostrum, & sitim desiderij nostri. Tandem nihil sunt, quia nullam istarum rerum possumus nobiscum auferre, quando hinc abimus: Quod si ex altera parte accidat, vt aut somnitemus internis inspirationibus Domini, & cognoscamus vanum nostrum errorem, inuocemus diuinum auxilium, & dicamus cũ S. Paulo: *Domine quid me vis facere?* tunc subitò Dominus se nobis ostendit noua consolatione cordis, & consulit nobis, vt fecit discipulis, vt non amplius iaciamus

Actor. 9.

mus rete in siniſtram huius mundi, ſed ad dextram æternorum bonorum; Si tunc obediamus cũ Apoſtolis, ô quantum fructum reportabimus! & quomodo implebuntur retia cordis noſtri pace, conſolatione, & omnibus bonis! cum certa fiducia & ſpe perueniendi tandem ad æternam illam vitam, vbi Dominus, vt promiſit, nobis dabit & regnum, & ſeipſum.

Conſidera diſcrimen inter hanc piſcationem & illam, quam fecit idem Petrus ante paſſionem Domini. Nam in illa non dicitur qua parte piſcaretur, an in dextra, an verò in ſiniſtra, ſed tantum quod in Chriſti verbo mittens rete in mare, concluſerit tantã multitudinem piſcium, vt rete pene rumperetur, & implerentur duæ nauiculæ: ſed in hac piſcatione, Petrus (vt Dominus mandauerat) miſit rete ſolum ad dextram, & cepit certum & definitum numerum piſcium: eoſque omnes magnos, neque rete fuit ruptum. Per primam piſcationem ſignificabatur fructus verborum Chriſti, quæ ab Apoſtolis per totum mundum prædicata, hoc ipſo recti, & vnica captura implerent duas nauiculas, eò ſcilicet, quòd duos populos Hebræum & gentilem in vna veritate, & *Luc. 5.*

ſub vna auctoritate Petri aggregarentꝰ In hac eadem erant piſces omnis generis, & rumpebatur rete: nam in Eccleſia militante ſunt boni cum malis permiſti, perfecti cũ imperfectis; ac mali quidem facientes ſciſſuras in Eccleſia, aut ſcindentes vinculum caritatis, rumpunt rete, & exeunt foras. Secunda piſcatio præſens ſignificat vltimam collectionem, quæ fiet poſt vniuerſalem reſurrectionem, in qua rete ſolùm iacietur ad dexteram, quia ſolùm colligentur boni, qui ſtant ad dexteram & ſunt in certo & definito numero, & pauci in comparatione aliorum. Et hi itẽ omnes erunt magni piſces, quia ad cælum non conſcendũt niſi perfecti & magni virtute. Tunc inſuper non rumpetur rete, quia boni omnes erunt inter ſe & cũ Deo vniti in caritate. Vltimò, in hac piſcatione piſces ſunt tracti ad littus vbi ſtabat Dominus, videlicet ad terram illam ſtabilem & firmam, *terram viuentium*, in qua recepti ad felicem illam cœnam nuptiarũ agni, gaudebunt cũ Chriſto in ſempiternum.

Appellentes diſcipuli inuenerunt cibum paratum, *piſcem aſſum & panem*. Vbi conſidera quàm ſit bonus & beneuolus Dominus, & quàm promtus ad remunerandum illos, qui in diuino ſeruitio

uitio fatigantur. Nam dum discipuli occuparentur in mari piscatione, vt ipse ijs præceperat, erat Iesus in terra coquens piscem, & apparans prandium: ita & nunc, dum nos in hoc mundo occupamur in ministerio Iesu Christi, ipse est in cælis parans conuiuium, quo nos excipiat, & coronas, quibus nos remuneret. O felices labores, quibus Deus sua illa manu, qua fabricatus est cælos, disponit & præparat præmium & coronas?

Dixit ergo discipulis, *Venite & prandete.* Considera paulisper anima mea, hoc iucundum conuiuium: vide vt Dominus, nec in minimo obliuiscens suæ consuetæ humilitatis & beneuolentiæ, accipiat sua manu panem, & postquam benedixisset; illum ipsis distribuat & similiter piscem; ac deinde comedat cum illis, vt ante consueuerat. Circa ipsum stabant discipuli, velut oues circa pastorem, aut potius velut filij circa benignissimum patrem, magna reuerentia & gaudio, cum ipso capientes cibum, & aspicientes magna voluptate animi sui, amabilissimam ipsius faciem, & interea dum ex ipsius sacratis manibus acciperent desideratissimam escam, nō minus spiritu, quàm corpore suauiter pascebantur.

O quàm felix erat hoc prandium, & quam ſuauis ille cibus, qui à diuinis illis manibus erat contrectatus; & vos ſancti Apoſtoli, quomodo in præſentia tanti ignis, qui diffundebat ad vos tantas flammas caritatis, non toti exarſiſtis velut Seraphini Spiritus, aut quomodo nõ in ſingulorum pectoribus vel corda ipſa
Ioan. 21. liquefacta ſunt? Bene dicit Scriptura, quod nullus veſtrum auſus fuerit loqui, & rogare quis eſſet, ſcientes quod eſſet Dominus; ſed exiſtimo, quod quamuis certò cognouiſſetis Dominũ, etiamſi voluiſſetis, nihilominus non potuiſſetis formare verba, propter nimium ſtuporem, & immenſam teneritudinem cordis veſtri.

COLLOQVIVM.

ORA Chriſtum Dominũ noſtrum, vt ſicut mãdauit diſcipulis vt piſcarentur aliquid, quo poſſent veſci, ita velit ſua diuina gratia præparare animam tuam, vt ſit cibus dignus & ſuauis diuinæ Maieſtati, & ſimul tibi concedat, vt poſſis fructuosè ipſi ſeruire, & laborare in adiuuandis proximis: præterea vt poſſis eſſe particeps illius conuiuij, in quo ſeruos ſuos paſcit ſeipſo, piſce aſſo, & aſſicto pro nobis, dans tibi occaſionem in hac

hac vita patiendi aliquid amore ipsius, vt deinde in altera te valeat perfectè satiare, pane vero & viuo inter suos electos in cælo constitutum.

DOCVMENTA.

1. PETRVS *postquam fuisset vocatus ad Apostolatu redijt ad artem piscandi: sed non & Matthæus ad telonium. Ex quo discamus licet eas artes, quæ in mundo non possunt exerceri absq; peccato, post conuersionem, à nemine exercendas: illas verò, quas licitè exercet quispiam in sæculo, potest etiam in religione licitè & cùm merito exercere.*

2. *Discipuli piscantes noctu, nihil ceperunt. Illi nocte piscantur, & nihil capiunt, qui opera bona exercent in statu peccati mortalis, nam illa opera quantacunq; sint, non merentur præmium vitæ æternæ. Præterea illi nocte piscantur, & sine fructu, qui impendunt suos labores, & totam vitam in famulatu mundi.*

3. *Christo roganti an haberent aliquem piscem quẽ comederet, responderunt Apostoli: non cibus, quem Dominus à nobis petit, est obedientia suorũ mandatorum, quibus omnes obligamur; quem cibum nõ habent, nec Christo dare possunt, qui pis-*

cantur in nocte peccati, sed illi soli qui piscantur in luce gratiæ.

4. Cùm Apostoli laborassent tota nocte frustra, tandem mittentes rete in eam partem, quam Christus indicabat, ceperunt magnam multitudinẽ piscium. Mirabilis est obedientia vis, quippè quæ efficiat, vt opera, quæ à nobis facta sunt propria voluntate, parum aut nihil mereantur: quæ verò ex obedientia, sint inæstimabilis meriti.

5. Per Apostolos piscantes significantur Prædicatores: rete est verbum Dei, pisces sunt peccatores: dextrum latus, est pars spiritualis, sinistrum autem temporalis. Illi ergo, qui prædicant verbum Dei, vt placeant hominibus, & qui quærunt propriam gloriam & aliquod commodum temporale, piscantur ad latus sinistrum, & ideo nullum faciunt fructum; sed illi qui suis concionibus & laboribus propositam solam habent gloriam Dei, & salutẽ animarum, reportant fructum copiosum.

6. Ioannes primus omnium cognouit Christum, & dixit Petro: Dominus est. Illi habent maius lumen, & sunt capaciores cognitionis diuinæ, & rerum spiritualium, qui sunt similes Ioanni, corde scilicet puri; & corpore casti, & incorrupti.

7. Petrus, subitò vt cognouit quia Dominus

minus est, misit se in mare: Anima quando nõ cognoscit aut sapit Deum, amat seipsam, & fugit passionem; sed quàm primùm aduertit, & gustat quàm suauis sit Dominus, in mare tribulationis se conijcit, & desiderat pati & multum laborare ob amorem Dei.

8. *Christus non inuitauit Apostolos ad prandium, postquam noct. sine vllo fructu fuissent fatigati; sed cùm ipsius dicto obedientes cepissent multos pisces: Dominus non remunerat omnes labores, quos subimus in hoc mundo, sed illos solùm, quos ex ipsius obedientia & amore suscipimus.*

9. *Dominus postquam hi septem discipuli essent piscati, secundùm ipsius prascriptum, vocat eos ad prandium, quod ipse parauerat, vt significaret, quod post resurrectionem, illi sint vocandi, & recipiendi ad caleste cõuiuium, qui pleni septiformi gratia Spiritus sancti, fuerint sapius in diuino seruitio fatigati.*

* * *

MEDITATIO SEXAGESIMA.

QVOMODO DOMINVS apparuerit discipulis supra montem Galileæ.

EVANGELIVM.

Matt. 28. Marc. 16. VNDECIM autem discipuli abierunt in Galilæam, in monte vbi constituerat illis Iesus, & videntes eũ adorauerunt; quidam autem dubitauerunt. Et accedens Iesus locutus est eis dicens: Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Euntes ergo in mundũ vniuersum, docete omnes gentes, & prædicate Euangelium omni creaturæ, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus

saluus erit; qui verò non crediderit, cõdemnabitur. Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, serpentes tollẽt, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit, super ægros manus imponent, & bene habebunt. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Et ego mittam promissum Patris mei in vos. Vos autem sedete in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto.

FIGVRAE.

CVM Moyses ascendisset in mõtem, prout Deus illi præscripserat, vidit ibi, & locutus est cum Deo, qui illi præcepit, vt fabricaretur sanctuariũ, in quo promisit, se habitaturum in medio populi sui, & dedit illi multa præcepta, quæ Moyses ipse Dei iussu populo seruanda proponeret. Exod. 24. & 25.

Præcipiens Dominus Iosue, vt iret ad occupandam terram promissionis, confortauit illum dicens: Secum eo in omnibus rebus futurũ. Iosuæ 1.

PRO-

PROPHETIÆ.

Zach.9. *ET potestas eius à mari vsque ad mare, & à fluminibus vsque ad fines terræ.*

Psal.2. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam & possessionem tuam terminos terræ.*

Ierem.23. *Ego cõgregabo reliquias gregis mei de omnibus terris, ad quas eiecero eos, & cõuertam eos ad vras suas, & crescent, & multiplicabuntur, & suscitabo super eos pastores, & pascent eos.*

Ierem.16. *Et post hæc mittam eis venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cauernis petrarum.*

Isaiæ 66. *Mittam ex eis qui saluati fuerint ad gentes in mare, in Africam, & Lydiam, tenentes sagittam: in Italiam & Græciam, ad insulas longè, & annunciabunt gloriam meam gentibus.*

Ierem.3. *Et dabo vobis pastores iuxta cor meum & pascent vos scientia & doctrina.*

CONSIDERATIONES.

1. Punctũ. HÆC apparitio, qua exhibuit se Dominus discipulis in monte Galileę, fuit præcipua & solemnior ceteris omnibus, & illa ipsa quam illis toties promiserat, tam ante suam passionẽ, quàm postea per Angelos; non quod nollet illis prius sæpius apparere, (vt Hierosolymis

mis factum vidimus) sed quia ibi apparuit maiori maiestate, & pluribus personis simul, quandoquidem hæc apparitio fuit illa, de qua dicit S. Paulus: Quod visus sit Dominus plusquam quingentis fratribus simul. 1. Cor. 15. In alijs apparitionibus benedictus Iesus nihil aliud egit, quàm vt afflictos discipulos erigeret, illosque certos de sua resurrectione redderet; sed in hac, quę facta est in Galilæa, declarauit illis apertius gloriã suam & potestatem, quam habebat in vniuersum mundum. Ibidem instruxit discipulos in officio apostolatus sui; aperuit illis secretum vocationis gentium; docuit illos formam baptismi, patefaciendo mysterium SS. Trinitatis; dedit suis fidelibus potestatem faciendi miracula; vltimò tandem, posuit ibi prima fundamenta suæ Ecclesiæ.

Considera quomodo non solùm Apostoli, sed multi alij fideles, scientes quod Dominus promisisset se appariturum in monte Galileæ, eodẽ conuenerint, & mãserint ibi congregati, expectãtes magno cum desiderio ipsius aduentũ. Vbi tandem cùm apparuisset, cogita quãto gaudio fuerint repleta illorũ corda, quod ipsum gaudiũ eò fuit maius, quò fuerat maior dolor, cùm viderant illum

illum in sua passione ita deformatum, abiectum & humiliatum. Iam contemplare cum quanto iubilo intuiti fuerint desideratam illam & gratiosam faciem, quãta dulcedine ipsius amicissimas voces exceperint. O beati oculi, qui fuistis digni ea videre, quæ tũc vidistis! & beatæ aures, quæ meruistis audire ea, quæ audistis! & multis partib⁹ beatiores manus, quæ diuinam illam personam (si modò id vlli concessum fuit) potuerũt contingere! O ascende tu etiam anima mea istum montem; auelle cor tuum à rebus istis terrenis, quia in imo huius terræ non videtur Dominus, sed eleua te desiderio & amore ad res cælestes, vt tu etiam aliquando digna tam dulci & felici visione inueniaris.

Mihi data est omnis potestas in cælo & in terra. Christus, quia erat caput hominum & Angelorum, habebat potestatem faciẽdi in cælo & in terra quicquid vellet: Nam & terra poterat eligere quos vellet, & in cælo coronare illos, qui ipsi placerent: habebat omnem potestatem, quia ratione suæ humanitatis fuit exaltatus supra omnem creaturam, fuit collocatus ad dexteram Patris, & ipsi fuit datum nomen quod est supra omne nomen: *Vt in nomine eius flecteretur omne genu,*

Philip. 2.

genu, cælestium, terrestrium, & infernorum. Et quamuis Christus ratione diuinitatis suæ, potestatem istam ab æterno habuerit; ratione verò humanitatis illi data sit in instanti suæ conceptionis; nihilominus noluit illã exequi, nisi post resurrectionem. Sed ô benedicte Iesu, si hæc potestas est tua, tibique vt verò Deo propria, quomodo tibi eam esse datam, & non potius te illam habere, aut habuisse profiteris? Vide superbe homo, quàm demisse & humiliter de se loquatur Dominus vniuersi, vt tibi præbeat exemplum humilitatis? Nam etiamsi esset æqualis Patri, ita vt quicquid esset Patris, esset etiam ipsius proprium, nihilominus in omnibus suis operibus semper voluit dare honorem Patri, & nunquam quæsiuit suam gloriam, sed solùm eius, qui ipsum miserat, Patris.

Considera quàm lætus hic nuncius, & quàm plenus solatij acciderit afflictis & mœrentibus discipulis; cùm intelligerent Magistrum suum esse iam magnum illum principem, in cuius femore & vestimento scriptum est: REX REGVM, *& Dominus dominantium*, cui data esset omnis *potestas in cælo & in terra*: Quod si olim fratres Ioseph ita lætabantur cùm intellexissent fratrem suũ dominari *Apoc.19.* *Gen.45.*

dominari in tota terra Ægypti, quanto credibilius est, discipulos longè animosiores factos fuisse, & immensam percepisse consolationem, cùm audirent, Christum Iesum verum suum, & maximum natu fratrem, esse dominatorem non vnius paruæ portionis terræ, sed cœli & terræ vniuersæ. Iam, ô anima mea, lætare etiam cum his sanctis discipulis, de tam felici nuncio, quia habes Dominum potentissimum, qui te non solùm potest adiuuare & defendere in terris, sed etiam qui tibi vult dare regnum æternum in cælis: habes præterea fratrem amabilissimũ, qui non solum potẽs est te defendere & pascere in hac vita, (quod vnũ, Ioseph suis fratribus præstare potuit) sed etiã potest & vult te facere participem suæ cælestis hæreditatis.

Considera salutiferam illam instructionem, quam benedictus Iesus dedit suis discipulis. Vide quomodo iam inceperit deducere in opus, potestatem illam sibi datam in cælo & in terra; & implere illud officium, propter quod missus fuerat à Patre, cùm incipiat tãquam Saluator & verus medicus præscribere remedia ad nostram salutem præsentissima. Non enim alia de causa mandauit Apostolis, vt obirent mundum & prædica-

prædicarent euangelium, nisi vt lumine fidei sanaretur nostra ignorantia. Prę-scripsit similiter vt baptizarent omnes, vt abluerentur maculæ peccatorum nostrorum, & restitueretur vita gratiæ. Demum vt instruerent fideles in diuinorum obseruatione mandatorum, vt nos sciremus nosmetipsos in gratia accepta semel conseruare; quousque peruenire valeamus ad brauium gloriæ nobis propositum. O Deus meus, quàm magnus est amor tuus erga me, quandoquidem tot annis, ante præuidens meas infirmitates, ad instar medici sapientis & vero amore ægrum diligentis, præparasti remedia & ordinasti medicinam qua curarer; sed quid aliud sunt medicinæ istæ, mi Domine, quam balnea pretiosi sanguinis tui, in quorum virtute, diuinis illis remedijs adiuuãtibus sumus illuminati, mundati, & tandẽ saluati? O quàm tibi fuit cordi, & quanto tibi stetit salus animæ nostræ, quam nos sæpe ita parui facimus, & ita leuiter perdimus!

Cum Dominus magna quædam & difficilia suis discipulis demandasset, vt eos deinceps cõfirmaret, & ijs animũ adderet, dixit: *Ecce ego vobiscũ sum omnib⁹ diebus, vsque ad cõsummationem sæculi.* Quæ verba non tantũ locutus est ad eos qui

qui erant præsentes, sed in illis, dixit Ecclesiæ suæ, & omnibus suis fidelibus, & illis præcipuè, qui vsque ad finem mundi se mancipaturi essent ipsius obsequio, & in procuranda animarum salute occupandi, quasi diceret: Ecce discipuli mei, ego vos voco ad magna & ardua negotia, ad laborem & passionem, sed estote imperterriti: *Ego vobiscum sum*, laboro vobiscum, ego vos defendo, ite securè, & nolite timere. O verè magna & amica promissa! O promissa nobis omnibus maximæ consolationi futura!

Rom. 8. Nam si Deus sit pro nobis, quis contra
Ibidem. nos? & si ipsius gratia sit in nobis, quæ tribulatio, quæ angustiæ, quæ pericula, quæ persecutiones, & qui gladij poterũt
Philip. 4. nos separare ab ipsius caritate? Verè in virtute illius qui nos confortat, poterimus omnia, & omnia superabimus, vt
Psal. 59. & 107. dicit Propheta: *In Deo faciemus virtutem, & ad nihilum deducet tribulantes nos & inimicos nostros.*

Considera quomodo Dominus adsit Ecclesiæ suæ, & aderit vsque ad finem mundi, velut fidelis nauclerus, qui à sua naui nunquam recedit, donec illam deduxerit in portum. Ita Christus nunquam reliquit, nec unquam relinquet Ecclesiam, quousque illam deduxerit in

ſecurum portum beatitudinius: Etiam aſſiſtit ſuis fidelibus ſua gratia & protectione, & per influxum diuinorū ſuorum donorum. Sed non fuiſti contentus benigniſſime, & dulciſſime Domine, manere nobiſcum per præſentiam tuæ Diuinitatis, ſed voluiſti etiam nobis adeſſe tua ſacra humanitate, in SS. Sacramento Euchariſtiæ: & hoc ad maiorem noſtram conſolationem, in ſignū maximi tui amoris erga nos, & loco arrhabonis futuræ beatitudinis. Nam vt promiſiſti quod adfuturus eſſes nobis in hoc mūdo, in auxilium & protectionem: ita etiam aderis nobis in cælo, in remunerationem, & vt ſaties nos tua diuina præſentia.

COLLOQVIVM.

ROGA Chriſtum D N. vt ſicut ipſe apparens in monte, corda diſcipulorum mærentium ante & afflictorum ob mortem ipſius, impleuit incredibili cōſolatione, det etiam tibi gratiam, vt ſub pedibus tuis omnia deſideria terrena calcando, poſſis aſcendere ad altitudinē perfectionis Chriſtianę, vt merearis tandem in cælo inſueri deſideratam eius faciem; adhæc tibi concedat, vt poſſis

perfectè

perfectè obseruare omnia, quæcunque tibi mandauit, supplicando illi, vt sicut promisit, ita semper velit tibi adesse in hac vita, quò te semper tuaq; custodiat, ac disponat, & postmodum in futura, quò te felici sua præsentia, beatum ac glorioſum efficiat.

DOCVMENTA.

CHRISTVS Apostolis, dum ad montem ab ipso præscriptum venissent, apparuit, ibiq; eos in sacrosanctis fidei mysterijs instruxit: Dominus etiamsi multis alijs soleat impertiri cõsolationes spirituales, nihilominus illos, qui ascendunt in mõtem perfectionis, & illi seruiunt in statu religioso, magis visitat, & quasi amicos intimos, magis efficit cælestium suorum secretorum participes.

2. *Illi data est omnis potestas in cælo & in terra, qui eò vsque se humiliârat, vt se omnibus, non hominibus tantùm, sed ipsis etiam potestatibus tenebrarũ subijceret. Itaque nos, quanto plus nos ipsos humiliauerimus & submiserimus omnibus; tanto ampliori à Christo Domino, gloria & dignitate præ cæteris euehemur.*

3. *Mandauit Christus Apostolis, vt non solùm baptizarent eos, qui in ipsum erant credituri, sed etiam docerent eos obseruare, omnia illa, quæ ipse ijs præceperat*

Nom

Non sufficit ad salutem tantum in Christum credere & baptizari: sed opus est, vt fidei coniungamus opera, obseruando omnia illa mandata, quæ per Apostolos nobis reliquit.

4. Qui crediderit & baptizatus fuerit, *dicit Saluator*, saluus erit. *Tunc credendo salvabimur, cùm ea obseruauerimus, quæ in baptismo promisimus, & nostris operibus non cõtradixerimus illis, quæ credimus, cùm illi non verè credere putandi sint, qui factis cõtraria ostendunt, ijs quæ credunt; de quibus dictis Apostolus.* Qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant.

5. *Dicit Christus:* signa eos qui crediderint, hęc sequentur: In nomine meo dęmonia eijcient, linguis loquentur nouis, &c. *Illud demum verũ est veri amoris & perfecta in Christum fidei argumẽtum: si zelum proximos nostros iuuandi habeamus; si Sacerdotes remittendo peccata eijciant dæmonia, quæ animas inhabitabant; si nostra lingua, relinquentes verba mundana, loquantur noua ad laudem Dei, ac in bonũ proximi exemplũ; si nostris monitionibus tollamus malitiã & inimicitias è cordibus aliorum; si videntes proximos nostros infirmos, & vacillantes in via virtutis, monitis, &*

bono

& bono exemplo eos confirmemus, & ad eandem colendam excitemus.

6. Christus promisit, sese nobiscum semper mansurũ, vsque ad cõsummationem seculi. Erigẽdus itaq; nobis est animus & fiducia in Deum obfirmandus aduersus omnes tentationes, vexationes & labores, hac præcipuè cogitatione, quod is, cuius amore omnia suscipimus, ac toleramus, & auxilio & præsẽtia nobis assistat.

7. Fidem eorum qui in ipsum essent credituri, Christus miraculis demonstrandam confirmauit: nos itaque & si miracula exteriora non operemur (vt primis illis Christianis contigit) non est magnopere curandum, quia ista possunt quidem aliquando esse signa sanctitatis, sed eam tamen homini non conferunt. Studeamus potius facere miracula spiritualia pietatis & caritatis, quæ eò magis sunt secura, & maioris meriti apud Deum, quò occultiora sunt & ab oculis hominum magis remota.

ME-

MEDITATIO SEXAGESIMA PRIMA.

DE GLORIOSA ASCENSIONE Christi Domini.

EVANGELIVM.

HAEC postquam locutus est Iesus, eduxit eos foras in Bethaniã, & eleuatis manibus suis benedixit eis, & factum est dum benediceret illis, recessit ab ijs, & ferebatur in cælũ, & sedit à dextris Dei. Et ipsi adorãtes regressi sunt in Ierusalem cum gaudio magno. Et cùm hæc dixisset, videntibus illis eleuatus est: & nubes suscepit eum ab oculis eorum. Cumque intuerentur in cælum eũtem illum, ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis, qui & dixerunt: *Marc.16. Luc.24.* *Actor.1.*

dixerunt: Viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cælum? Hic Ieſus qui aſſumptus eſt à vobis in cælum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cælum. Tunc reuerſi ſunt Hieroſolymam à monte qui vocantur Olineti.

FIGVRAE.

Gen. 5. ENOCH *homo iuſtus, fuit à Deo translatus, nec amplius apparuit ſuper terram.*

4. Reg. 2. *Elias dum loqueretur cum ſuo diſcipulo Eliſeo, in curru igneo aſſumptus eſt.*

3. Reg. 9. *Arca fœderis fuit in templum Domini à Salomone magna pompa & ſolemnitate, vniuerſoq; populo comitante introducta.*

PROPHETIAE.

Deut. 32. SICVT *aquila prouocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans expandit alas ſuas.*

Mich. 2. *Aſcendet enim pandens iter ante eos.*

Iſaiæ 63. *Quis eſt iſte, qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra, iſte formoſus in ſtola ſua,*

sua, gradiens in multitudine fortitudinis sua?

Attollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales; & introibit rex gloriæ. Psal. 23.

Ascendit Deus in iubilo, & Dominus in voce tubæ. Psal. 46.

Ascendit super Cherubin, & volauit super pennas ventorum. Psal. 17.

Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem. Psal. 67.

Psallite Deo, qui ascendit super calum cali ad Orientem. Ibidem.

A summo calo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum. Psal. 18.

Aspiciebam ego in visione noctis, & ecce in nubibus cali, quasi filius hominis veniebat, & vsq; ad me antiquũ dierum peruenit; & in conspectu eius obtulerunt eum, & dedit ei potestatem, & honorem & regnum. Dan. 7.

CONSIDERATIONES.

CONSIDERA quomodo vertente iam eorum dierũ numero, quibus benignissimus Iesus Apostolos suos, & nascentẽ primùm Ecclesiam confirmare decreuerat, quadragesimo post resurrectionem die, sciẽs *venisse horam, qua ex hoc mũdo transiret ad Patrẽ, cùm semper* 1. Punctũ.

dilexisset suos discipulos, in finem dilexit eos, cum scilicet in hoc digressu voluit illis maiora amoris signa exhibere. Vnde apparens illis in cœnaculo, in monte Sion, vbi cum sanctissima eius Matre & multis alijs erant simul cõgregati, postquam magna cum caritate, & familiaritate sumsisset cum illis cibum, & instruxisset de ijs, quæ facturi essent post ascẽsionem, præcepit vt irent in montẽ Oliueti, vt ibidem viderent in cælos ascendentem. Quem in locum cum cõuenissent, apparuit denuò Dominus, volens illis dicere extremum vale. Cogita hinc, quãta cum suauitate & affabilitate fuerit singulos allocutus, ostendens eis necessitatem sui discessus, paternamq; curam, quam semper esset erga ipsos habiturus, promittens se missurum alium consolatorem, qui esset perpetuò mansurus cum ipsis. Inde verò, quomodo omnes discipuli prostrati in terram, non valentes ob nimium gaudium dolore mixtum continere lachrymas, incipiant magna dilectione exosculari ipsius sacrosanctas manus & pedes; at ipse tenerè singulos amplectens, modò hunc, modò illum, suauiter eos consolabatur & benedicebat.

Sed considera separatim, ecquid in animo

animo senserit B. Virgo, quæ ipsum ardētius ceteris omnibus amabat. Et quid debuit facere cōsequentissimus Iesus ei Matri, quam adeò diligebat, quæ iustiori nomine, quàm ceteri mærebat & magis affligebatur ob ipsius discessum? desiderabat illa vehementer comitari filiū, sine quo illi erat vita acerba futura. Hinc potes cogitare, quod interim dum illam amplexaretur, tota liquefacta & cōmota materno amore, reclinauerit caput suum, eo modo quo fecerat Ioannes, supra pectus filij, dicens illi: Fili mi, si vis abire, trāsfer me tecum; sed deinde seipsam solabatur, intelligens esse filij voluntatē, vt aliquāto adhuc tempore remaneret in hoc mundo, ad consolationem & custodiam illius gregis, quem adeò mœstum relinquebat, vt ne vno, eodemque die, penitus fierent orphani, priuati tali patre, & tali matre.

Considera, cùm iam aduenisset hora, vt abiret, eleuans benedictus Iesus diuinas suas manus, omnibus benedixit, & ipsis aspectātib. incepit eleuari à terra, ascendens paullatim, eleuatis manibus discipulis benedicēdo, & oculis in ipsos defixis, suauiter intuēdo. Ferebatur Dominus in altū facie serena & hilari (triūphatoris instar) corona splendida & re-

gali redimit', & ſtipatus felici illo choro SS. Patrum; qui decãtantes ſui liberatoris ac vindicis laudes, ſequebãtur ipſum. ouantes. Et ecce dum Princeps cæleſtis militiæ in cælo annunciaret aduentum Regis Gloriæ, aperti ſunt cæli & beati illi ſpiritus turmatim deſcenderũt obuiam Domino ſuo; cumq; ipſum magna reuerẽtia & ſubmiſſione adoraſſent, hymnis & ineffabilius canticis ipſum deduxerunt in cælos. Quis vnquam poterit explicare magnitudinem iſtius gaudij? & quanta fuerit exultatio, & quod ſpectaculum inter beatiſſimos ſpiritus & ſanctas illas animas, quando ſibi mutuo occurrerunt? quis poterit cõmemorare amplexus illos, & laudes, ac gratias, quas omnes, victori Domino decantarunt?

Feſter 6. O glorioſa & iucunda ſolemnitas! O triumphus digniſſimus! *Ita honorabitur is, quem Rex cæli voluerit honorare*; ita eſt exaltatus quia ſe adeò profundè humiliauit. Ecce benedicte Ieſu exaltatio tua; Ecce *nomen ſupra omne nomen, quod tibi datum eſt*, cò quod *teipſum exinaniueris, factus obediens vſque ad mortem.* Ecce fructum tot animarum, quem collegiſti, eo quod *propter peccata noſtra poſueris animam tuam.* Ecce glorioſam coronam quam obtinuiſti, eo quod tanta

Philip. 2.

Iſaiæ 53.

fortitudine

fortitudine, adeò difficilè iter superaueris. I nunc ô Domine, & nobilis triumphator in requiem tuam, deferens tecũ *arcam sanctificationis tuæ*, nempe tuam sacratissimam humanitatem; exaltare super omnes cælos, & gloria tua sit super omnem terrã, tibi omnes angeli, tibi cæli, & vniuersæ potestates, tibi Cherubini & Seraphini inces*s*abili voce proclament: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum, pleni sunt cæli & terra, maiestatis gloriæ tuæ.* *Psal.131.* *Psal.107.*

Vide iam magnã illam aquilam, quæ volẽs prouocare generosos suos filios, vt eleuent se a terra, & collocent spẽ & desideriũ suũ in supernis, vbi sunt vera gaudia, hodie extendit alas suas supra ipsos, & ascendens ipsis præsentib⁹ in altũ, eos reliquid corpore quidẽ in terra; corda tamen eorũ abstulit secũ in cęlũ. Vide magnum illũ Patriarcham Iacob, qui discedens ab æterno Patre, & peregre veniẽs in hanc nostrã terram, cùm in solo baculo crucis transijsset torrentem passionis & mortis, modò rediens ad domum paternam, intrat gloriosè cælos, stipatus duob⁹ nobilissimis agminibus, angelorum & animarum sanctarum. Vide bonum pastorem, qui descendens ex cæleſti illo monte, postquam inueniſſet *Deut.32.* *Gen.32.* *Luc.15.* *Matth.18.*

perditam ouiculam, & assumsisset in humeros suos, redit magna lætitia ad
Ibidem. domum propriam, vbi conuocans omnes suos amicos & vicinos, eos inuitauit ad sibi congratulandum, cùm ouem illam, quam tanto suo labore quæsierat, inuenisset, & valore sui pretiosi sanguinis recuperasset. Vide tandem ô anima mea dilectum tuũ, qui inuitatus à spõsa, fugit velut leuis caprra, & velox hinnulus supra montes aromatum, supra angelicas Hierarchias, ascendens supra Cherubin & Seraphin, vsque ad sublimem thronum Diuinitatis, vt quiescat in sinu æterni Patris, à quo exierat.
Cant. 8.

Considera quomodo Saluator, cùm sublatus esset ex conspectu discipulorum; momento temporis fuerit in cælo empyreo; ibique aperiens portas æternales, (quæ ad eum vsque diem fuerant generi humano occlusæ) intrauerit more triumphantis, cum illa multitudine in paradisum. Hic contempleris licet, quanta exultatione & iubilo, sit in cælo exceptus triumphator mortis & inferni, quibus canticis & laudibus, qua reuerentia & honore sit à cælestibus illis Hierarchijs exceptus. Quomodo præ gaudio psallebant Angeli! quomodo admirabantur Archangeli! quomodo
Psal. 23.

ardebant

ardebant amore Seraphini ! quomodo interrogabant inferiores ex superioribus id, quod Propheticò spiritu prædixerat Isaias: *Quis est iste, qui venit de Edom? quis iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ?* *Isaiæ 63.* Tandem cùm peruentum esset ad thronum paternæ gloriæ, ibi humillimus Dominus, (qui quoad humanitatẽ solam erat minor Patre) se inclinauit & dixit illa ipsa verba, quę protulerat iam ante in mundo: *Pater ego manifestaui nomen tuum hominibus, te glorificaui supra terram, consummaui opus, quod imposuisti mihi vt adimplerem, iam Pater clarifica Filium tuum, ea claritate quam habui apud te, antequam mundus fieret.* *Ioan. 17.* Tunc æternus Pater eleuans & amplectens Filiũ reposuit in illo sublimi throno, & iussit sedere ad dexteram suam.

Postremò oculos reflecte, & vide quomodo manserit beatissima Mater cum Magdalena & discipulis, supra montem obstupefacti & attoniti, aspicientes Dominum ascendentem in altum, quàm diutissimè poterant, oculis prosecuti; at cùm nõ possent vltrà intueri oculis corporeis, supplebant mente & cogitatione. O quantum gaudium erat, videre Dominum vniuersorum adeò gloriosè

ascendere! O si quis potuisset videre beatissimos illos spiritus, & sanctas animas, quæ vnà cum ipso ascendebant, & audire diuinas illas & lætas voces! Eius ego animam existimo, præ voluptatis magnitudine & suauitate emigraturã fuisse è corpore, & vna cum ipso in cælum conscensuram. Interim dum ibi hærerent, Dominus gloriæ, qui nõ obliuiscitur eorum, quos amat, misit confestim duos Angelos in terram, qui nunciarent ipsius aduẽtum in cælos, dilectam Matrem cum alijs solarentur, qui omnes Deum laudantes, & agentes gratias, lætissimi in vrbem Hierosolymitanam se receperunt.

COLLOQVIVM.

ROGA Christum D. N. vt sicut ipse suscitans se à morte, ascẽdit ad dexteram Patris: ita velit ad se trahere cor & mentem tuam, vt abstracta ab omni terreno desiderio, illum solum ardenti studio quærat, & desideret: & eodem, quo ipsum firmiter credis ascẽdisse, tu etiam omni conatu studeas ascendere; ita, vt etiamsi corpus te retineat in hoc exilio longè disiunctum à tuo dilecto, animo saltem & cogitatione, possis semper cum illo, in ista felici patria versari & permanere.

DOCV-

DOCVMENTA.

1. CHRISTVS se vi propria in altum eleuans, ascendit in calum in praesentia suorum discipulorum. Ita qui alijs praesunt, vt superiores & pastores se ipsos attollere, in praesentia subditorũ bona vita & caelesti conuersatione debent, eosq; excitare bono exemplo, ad auocandum animum à rebus terrenis, & eleuandum ad acquirendam virtutem.

2. Si Christus caput nostrum ascendit in calos, & vbi fuerit caput, ibidem & mẽbra ipsa adesse conueniat; debemus item & nos sperare tandem aliquando ascensuros in calum, vbi est caput nostrum, si tamen ad ipsius vitam conformãtes nostram, digna & viua huius capitis membra inueniamur.

3. Christus primò euocauit discipulos ex ciuitate, deinde deduxit in Bethaniam, post hæc illis benedixt, & nouissimè conscendit in calum: Ita in conuersione peccatoris, Dominus primò omnium extrahit illum ex peccato. Secundò ducit illum in Bethaniam, id est, in domũ obedientia, vt obediat præceptis eius. Tertiò illi bene dicit, implendo eũ sua gratia. Quartò ascẽdit, hoc est, facit eum conscendere apicem virtutis & perfectionis Christiana.

4. Christus,

Philip. 2.

4. *Christus, qui in sua natiuitate exinaniuit semetipsum, & se fecit inferiorẽ non solùm Angelis, sed etiam hominibus,* formam *serui accipiens, meruit in sua ascensione euehi supra omnem creaturam humanam & Angelicam: ita nos, si cum voluptate desideremus exaltari cum Christo, non subterfugiamus humiliari in hoc mundo, & deprimi eius exemplo infra omnes.*

5. *Dixerunt Angeli, quod,* sicut Iesus ascendit, ita veniet. *Dominus ascendit benenolus; sed veniet terribilis, & illius, quod in suo abitu nobis benignè commendauit, in reditu cum seueritate, rationem exiget. Quare non negligamus tempus nobis concessum ad pœnitentiam, quandoquidem eò maiori austeritate redibit ad iudicandum, quò diutius & patiẽtius expectârit.*

6. *Apostoli, postquam ab ijs discessisset Christus non solùm tristiores nõ sunt redditi, sed etiã pleni gaudio redierunt Hierosolymam: Qui nimium turbantur, cùm Dominus se paululum illis subtrahit, auferendo spirituales consolationes, seipsos verius quàm Christum amare demonstrant. Verus amator est fortis & constans, neque consolationibus extollitur neque desolatione deprimitur, sciens*

nec

nec fieri merito suo, cùm visitatur à Domino: nec se reijci, cùm sese Dominus paululum ab eo subtraxerit.

7. Postquam redemptor noster ascenderit in calum sequamur ipsum desiderio, & eò scandamus corde, quò credimus ipsum corpore conscendisse. Fugiamus omnia mundana desideria, neq; nos quicquam afficiat amplius super terram, cùm habeamus Patrem in calis.

MEDITATIO SEXAGESIMASECVNDA.

DE MISSIONE SPIritus Sancti.

SCRIPTVRA.

Actor. 2. ET cùm complerentur dies Pentecoſtes, erãt omnes pariter in eodem loco. Et factus eſt repentè de cælo ſonus, tanquam aduenientis ſpiritus vehementis. Et repleuit totam domum, vbi erant ſedentes. Et apparuerunt illis diſpartitæ linguæ tanquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum. Et repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & cœperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus S. dabat eloqui illis.

FIGVRAE.

Exod. 19. ELAPSIS *quinquaginta diebus* à li-

à liberatione populi Israel ex AEgypti seruitute, Deus dedit legem in monte Sinai, cum fulgure, tonitru, & flammis igneis.

Cùm Ioseph Patriarcha esset eleuatus à Pharaone, & constitutus Dominus totius AEgypti, dedit multa dona & deuitias fratribus suis. Gen. 45.

Cùm Helias propheta assumtus esset curru igneo in cælum, permisit pallium suum supra discipulũ suum Heliseum ex alto decidere, super quem etiam spiritus illius requieuit. 4. Reg. 2.

PROPHETIÆ.

Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem, accepisti dona in hominibus. Psal. 67.

Et erit post hæc effundam spiritũ meum super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri & filiæ vestræ. Ioel 2.

Sed & super seruos meos & ancillas in diebus illis effundam spiritum meum. Ibidem.

Effundam spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam. Isaiæ 44.

Auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & spiritum meum ponam in medio vestri. Ezech. 36.

Filij

Ioel 2. *Filij Sion exultate & lætamini in Domino Deo vestro: quia dedit vobis doctorem iustitiæ, & descendere faciet ad vos imbrem matutinum & serotinum.*

Hier. 31. *Post dies illos, dicit Dominus, dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.*

Zach. 12. *In die illa effundam super domum Dauid, & super habitatores Hierusalem spiritum gratiæ & precum.*

CONSIDERATIONES.

1. Punctū. INTERIM dū beata Virgo, & apostolicum illud collegium, esset simul congregatum in cœnaculo in monte Sion, benedictus Iesus, qui in tanta sua gloria nō obliuiscebatur suæ benedictæ Matris, & charorum discipulorum, die quinquagesimo post suam resurrectionem, misit in illos *virtutem illã ex alto*, *Actor. 1.* Spiritum illum consolatorem, quem toties promiserat; nec sine ratione hoc die factum, sed, vt quemadmodum populus Hebræus quinquagesimo die, postquam liberatus esset per sanguinem agni paschalis, ex seruitute Pharaonis, receperit in monte Sinai legem timoris: ita populus fidelis post quinquagesimum diem suæ liberationis, per sanguinem veri Agni, ex seruitute Dæmonis,

nis, reciperet in mõte Sion legem amoris. Vt Iudæis quinquagesimo die mane, descendens Deus in flamma ignis, dedit legem in tabulis lapideis: ita quinquagesimo die veniens Spiritus S. manè, hora tertia, in figura ignis, scriberet suam legem in cordibus Apostolorum. Vbi quidem hinc considera, quàm verè dixerit Dominus, se non venisse vt solueret legem, sed adimpleret. Nam volens mundo dare nouam legem spiritus, non solùm adimpleuit quoad locum, tempus, & modum, quicquid in Veteri, tanquam figuris fuerat leuiter adumbratum; sed etiam quoad illam ipsam horam, in qua vetus lex fuit data: Inde verò considera differentiam quæ est inter has leges. Nam antiqua fuit data lapideis tabulis; tum ad ipsius Legis duritiam & grauitatẽ indicandam; (vnde eam D. Petrus appellauit iugum intolerabile) tum etiam ad duritiam eius populi, cui est data, significandam: erat enim populus terrenus, *& duræ ceruicis*, qui solum seruiebat ex timore: At lex noua fuit scripta in cordibus hominum, flammis igneis, vt significaretur, eam non esse grauem, sed leuem & suauem, cùm tota in amore consistat. Præterea vt indicaretur, hanc legem ab illis, qui-

Actor. 15.

Exod. 33.
Deut. 9.

quibus est data, ex solo amore perfectissimè obseruandam. Neque hoc mirum. Nam deus qui illam dedit, nō fuit Deus
Exod. 20. ille *terribilis & Zelotes*, sed Spiritus sanctus, qui aliud nihil est, quàm ipse amor & bonitas.

Considera quanta humilitate & deuotione, sancti Apostoli astiterint Matri Dei, conferentes cum illa de rebus omnibus dubijs? & præteritis, maximè quod scirent illam plenam Spiritu sancto, eiq; omnia secreta patefacta à Filio, qui ideo eam ipsis vt matrem & magistram reliquerit. Adhæc quanto ipsa amore consolata sit eos, & confirmarit ad sperandum in Domino, & deprecandum vnà secùm ardentibus precibus, pro illo cælesti dono, quod expectabant. Vbi perpende quos gemitus, quæ suspiria, quas lacrymas fuderint, & quàm feruentes & seduli fuerint, in oratione, vt optatissimū à Deo consolatorem impetrarent, qui cùm aduentū differret, vt hac sua mora vehementius discipulorū desideria succenderet, inceperunt maiori studio rogare dicentes: Veni sancte Spiritus, creator & consolator animarū nostrarum, visita mentes tuorum fidelium, & repl eas superna gratia, & ineffabili dulcedine tui amoris.

Inde

Inde verò cogita singillatim, quàm deuotæ & ardentes fuerint orationes sanctissimæ Matris, quæ tantò maiori feruore & affectu orabat, quanto melius intelligebat, quanti momenti esset & dignitatis spiritus prò quo obtinendo deprecabantur; quamq; eminens finis, propter quem, eundē impetrare cupiebant, qui erat salus totius mundi. Considera igitur quomodo pia illa Mater defixis humi genibus, oculis verò & manibus in cælū eleuatis, tota diuino amore incensa, lachrymas ardentissimæ pietatis effundens, vehementer & feruidè aduentum & præsentiam cælestis illius consolatoris efflagitarit: Mitte (dicebat) Fili mi, & Domine mi Spiritum tuum, qui creet in his tuis seruis nouum affectum, nouas voces, nouā fortitudinem, prout desiderant, & rogant, & sic renouetur facies terræ.

Et hæ quidem sunt preces quas transmittebat ad cælestem Patrem sacrū hoc collegium. Iam verò cōsidera quid egerit in cęlo pientissimus noster Mediator, qui se promiserat rogaturum Patrem, *Ioan. 17.* vt mitteret ijs alium paracletum, id est consolatorem, quæ fuerunt preces, & quæ oratio illius benedicti Iesu? (de natura humana eius hîc semper intelligo)

go) quæ efficax, quam grata, & accepta æterno Patri? maximè cùm repræsentaret simul, eiq; ob oculos poneret, sacratissima illa vulnera, quæ ad obedientiam eius explendam, & salutem mundi recuperandam, ipsi fuerant inflicta. Iam, quid poterat Pater misericors Filio (cum quo se communicârat) aut fidelibus suis denegare? nam cùm dedisset illis vnigenitum suum Filium, quomodo non omnia simul cum ipso donauerat? Denique quid poterat amantissimus sibi ipsi quodam modo, & suis visceribus denegare? Orabant enim non discipuli solùm, nõ solùm vnigeniti Filij Mater, non solùm ipsemet Filius orabat; sed ipse etiã Spiritus, (qui nihil est aliud quam bonitas & amor) desiderans diffundere, & communicare se cum hominibus, inspirabat cordibus omnium, vt
Rom. 8. suum aduentum *gemitibus inenarrabilibus postularent.*

Post tot itaque orationes, tot desideria, tot gemitus & lacrymas hoc sacro die, hora diei tertia, diuina bonitas tandem aperuit sinum misericordiæ suæ, &
Ioel 2. demisit è cælo pluuiam illam matutinam, quam tanto tempore ante promi-
Psal. 67. serat per Prophetam. Iam stillare cœperunt cæli à facie Dei Israel pluuiam illam

lam voluntariam, illud manna dulcissimum super hereditatem Domini in deserto. Iam apertæ sunt cataractæ cæli, & emiserunt aquas abundantissimas, quibus lota & renouata fuit omnis terra. Iam denique descendit de cælo illa purissima columba, & nobis attulit, in signum pacis inter Deum & hominem constitutæ, ramum oliuæ, spiritualem scilicet septiformis suæ gratiæ vnctionem. *Gen. 7.* *Gen. 8.*

Considera quibus circumstantijs Spiritus sanctus, aduenerit, cũ sonitu videlicet, vento, igne, & linguis. Sonus significabat prædicationem Euangelij, quod in omnem terram exiturus esset sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Ventus qui implebat totam domum, significabat abundantiam donorum & gratiarum spiritualium, quibus primò repleti Apostoli, easdem deinde, instar canalium diffunderent in omnes gentes. Ignis significabat mirabiles effectus illius cælestis Spiritus, nam sicut ignis purgat, illuminat, & inflammat, ita hic diuinus ignis, purgat animas ab omni rubigine peccati, & affectu carnali; illuminat mentem dono sapientiæ, & cognitione veri Dei; hic idem inflammat cor diuino amore. Immò hic est *Psal. 18.*

verus

Luc. 12. verus ille ignis, de quo ait Saluator, *quod eum venisset mittere in terram*, quo primò succensi Apostoli, eodē deinde per suam predicationem omnium hominū corda inflammarunt. Linguæ significabant donum illud eximium, quod Spiritus sanctus dedit Apostolis, quo loquebantur linguis omnium gentium, præterea donum quod etiamnum infundit mentibus fidelium, reddens eos promtos ad diuinas laudes prædicandas ad exhortandos alios, ad loquendū de rebus pijs: Vltimò, cum hic Spiritus non sit aliud quàm caritas & amor, qua ratione melius potuit significare, quàm in figura ignis? præterea cùm mitteretur vt sanctum illum Apostolorum cœtum cælesti lumine colluſtraret, & ac-

Matth. 5. cenderet, quò ipsi vera *lux mundi, lucerna ardentes, & ciuitas supra montē posita* esse possent, ecquid aliud ab his facer ille & cælestis ignis significasset, ad hos ipsos effectus procacendos?

Euigila nunc, anima mea, & hoc sono vehementi excitare. Ingredere paulisper sacrum hunc locum, in eoq; ante omnia personas præsentes diligentius intuere. Aspice Matrem Sanctissimam, quomodo illa in Deum quodammodo absorpta & defixa; vide Beatos illos Aposto-

Apoſtolos intimis animi medullis æſtuantes, & præ gaudio inexplicabili geſtientes, quaſi vix ſibi, præ voluptatis magnitudine mentis compotes eſſent, tanquam homines non iam amplius terreſtres, ſed cæleſtes potius, non animo minus, quàm oculis ipſis in cælos intenti & defixi. Attende deinde voces illas laudationis, gratiarum actionis, & diuinæ prædicationis pleniſſimas quæ à linguis illis non carneis amplius, ſed igneis dimanabant. Refer demum oculos ad ea, quæcunq; hîc fieri conſpicies. Ecce tibi ignem illum diuinum, externa quidē ſpecie clariſſimè relucentem, ſed multò vehementius internos Apoſtolorum ſenſus occupantem, ad eum planè modum, vt cum ingentem hanc flammam, ſinu abditam tenere diutius non poſſent, ſumtis animis ianuas præ metu hactenus obſeratas ſubitò aperuerint, domo exierint, palamque de SS. IESV nomine prædicauerint, & depoſito omni penitus timore, ac reſpectu Principum, Phariſæorum, & vniuerſæ Synagogæ Iudęorum fidentiſſimè pronunciarint: *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus.* O ſacras Eccleſiæ primitias! O mirā *dextræ excelſi mutationem!* Reſpice nunc, quā ſubitò Spiritus ſan-

Actor. 5.

Pſal. 76.

ſancti, ex Apoſtolis antea frigidis, timidis, incredulis, rudibus & ignaris homuncionibus; nunc ardentes, intrepidos, fortes, omnisque ſapientiæ pleniſſimos effecerit. Vnde nec magnoperè mirandum, ſi hunc eorum inuſitatum anteà, & inuiſum ardorem linguarumque diuerſitatem conſpicati Iudæi, eos ſtatim ebrios & muſto plenos iudicarint. Verè ebrij erant, ſed vino nouo, eo nempè, quo ſponſus *in cellam vinariam ſponſam introducens*, eos inebriauerat.

Cant. 2.

Eia anima mea, ſi tibi ex vino hoc dulciſſimo, & acceptiſſimo, vel pauxillum guſtare licuiſſet, quàm tibi res omnes huius mundi, (quæ te etiamnum, ita ſuo quaſi ſapore titillant & capiunt) in amaritudinē vertiſſent! O ſi digna fuiſſes habita, cuius ſinum leniſſimus hic ſpiritus ventilaſſet, vt te ſimul rapuiſſet, & refrigaſſet quantò tum ſecurius ad portum illum ſalutis optatiſſimum peruenisſes! *Veni Auſter* (dicebat Sponſa, ſalutarem hunc ventum intelligens) *perflo hortum meum, & fluent aromata illius.* Veni S. Spiritus, & emitte cælitus lucis tuæ radium. Veni pater pauperum, veni dator munerum, veni lumen cordium: veni, mi Deus, mi conſolator, mi hoſpes, & vnicum animæ meæ ſolatium.

Cant. 4.

tium. Effunde in pauperem & inopem donorum tuorum ac misericordię opus & thesauros. *Pota* & inebria me dono *Sapientiæ salutaris*; illumina me dono intellectus, dono consilij me dirige; dono fortitudinis confirma; dono scientiæ instrue; dono pietatis cor meum lenias & mollias; & dono denique timoris tui cõfige carnes meas. O verè puri & mundi cordis amator, inflamma igne gratissimi amoris tui medullas, & intima viscera mea, vt hoc ipso igne in te suauissimè raptus, & in tuam quodammodo formam translatus, viuam, & anima mea in te vno, finem extremũ sibi propositum inueniens, tanquam in pace, & quiete sua, immò omnis boni fonte, & abysso, placidissimè conquiescat. *Eccl. 15.* *Psal. 118.*

COLLOQVIVM.

PRECABERIS Christum D. N. vt ipse, non aliter ac olim mittens B. Apostolis sub ignis forma Spiritum S. eos omnes donis, & gratia spirituali copiosissimè repleuit: sic modò intimos animi tui sinus & angulos perpurgare, veramque integritatem, puritatem, & spiritus fortitudinem ac robur largiri dignetur, vt, si gratam acceptamque in anima tua Spiritus S. habitationem inue-

uenerit, eandem copiosis gratiæ suæ donis impleat, & exornet, quò ille vnus tibi sit, qui in misera hac, & periculis plenissima peregrinatione, animos addat, confirmet, & dirigat, ac demum ille ipse in sempiternum tempus te teneat, ac possideat.

DOCVMENTA.

1. *QVAMVIS Christus Dominus, Spiritum Sanctum missurum post suam in Cælos ascensionem Apostolis promisisset, ipsique tantum donum studiosissimè & ardentissimè expectarent; nihilo tamen minus decē ipsos dies distulit, antequam mitteret. Idipsum non rarò etiamnū euenit, vt, quamuis Dominus se nobis in necessitatibus nostris affuturum promiserit, nosque ipsi magno studio & precibus efflagitemus; ille tamē differre auxilium paulò diutius soleat, non quod adesse nolit, sed vt hac mora, desiderium augeat, nosque ipsi in oratione persistentes, tanto paratiores ad recipienda tāta maiestatis charismata inueniamur.*

Psal. 90.

2. *Spiritus S. in Apostolos, ex Christi præcepto, Hierosolymis cōgregatos descendit. Nobis item, si Spiritum sanctum recipere desideramus, in vna Ecclesia Catholica & Apostolica permanendum est, extra*

tra quam nec Spiritus S. datur, & verò, si quis illum in hac acceperit, ab eadem separatus protinus amittit.

3. *Spiritus S. venit instar venti repentini & vehementis in discipulos descendens. Solet ventus omnia subitò & vehementer impellere, in quamcunq; partem se dederit. Hinc fit, vt si in officijs virtutum, & caritatis præcipuè, segnes simus, & languidi; tanquam signo certissimo possimus colligere, Spiritum S. nondum sibi in anima nostra fixisse hospitium. Quoniam, vt recte inquit D. Ambrosius:* Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia.

4. Sedit super singulos Apostolos Spiritus S. in linguis igneis. *Tum demum Mundus Spiritum Dei in nobis habitare cognoscet, si lingua nostra verba ignea, amorem in Deum & caritatem aduersus proximum spirantia pronuncient.*

5. *Accepto Spiritu S. Apostoli* cœperunt loqui, prout Spiritus dabat eloqui illis. *Ex sermone & colloquijs cuiusque, quis in eo Spiritus sit, cognoscitur. Quoniam si Iesu Christi Spiritum habeamus, qua casta sunt, qua sancta sunt, qua Christiana sunt, proloquemur; dicente Domino; quod* Bonus homo de thesauro cordis sui bono proferat bona; malus autem de ma- *Matth. 12. Luc. 6.*

Ibidem. lo thesauro proferat mala: *Et quod* ex abundantia cordis os loquatur. *Nos itaque si quicquam loqui, præter vana, aut mala nesciamus; ex hoc velut certissimo signo discamus, nihil in animo nostro boni inesse; nec à bono & salutari Spiritu vitã nostram duci ac gubernari, colligamus.*

6. Duobus diuersis temporibus Spiritũ suum Dominus Apostolis impertiuit; idq; factum; vt Mundum in duobus caritatis præceptis instrueret. Primùm dedit illum adhuc in terris agens, vt proximum diligeremus: Eundem iterum post suum in cælos ascensum dedit, vt DEVM *amaremus. Prius verò ad amorem proximi nos informauit, eò quòd per illum ad amorem Dei conscendamus; siquidem, iuxta dictum Apostoli:* Qui non diligit Fratrem suum, quem videt; DEVM, quem non videt, quomodo poterit diligere?

1. Ioan. 4.

7. Repleti Spiritu Sancto Apostoli non iam amplius se, domesticis parietibus, clausis ianuis tenuerunt; sed foras prodeuntes, tanquam fidi & imperterriti Euangelij præcones Christum annunciare, & viam salutis populo ostendere cœperunt. Nobis pariter Dominus sua dona nõ eò impertitur, vt ea abdita & otiosa teneamus, aut ijsipsis ad animi delectationẽ & voluptatem perfruamur; sed vt ea in auxi-

auxilium & salutem proximorum cum fœnore impendamus.

8. *Spiritus S. Apostolos largissimè repleuit, quòd eos ab omni alia re vacuos inuenerit. Tum demum humanus animus Dei capax est, si à seipso, id est amore & iudicio proprio vacuus & despoliatus fuerit. Quamdiu enim in nobis ipsis aliquid nostri superest, tamdiu ad Deum recipiendum iudicamur indigni.*

FINIS MEDITATIONVM.

SIN-

INDEX SINGVLARVM MEDITATIONVM EO ORDINE, QVO IN HOC libello continentur dispositus.

MEDITATIO I.

DE ingressu Christi D.N. in Hierusalem pag. 1

2. De consilio à Iudæis contra Christum habito 11

3. Quomodo Christus duos Discipulos miserit ad parandam cœnam: & Matri extremũ valedixerit 19

4. De vltima cœna, quam Christus cũ Discipulis instituit 32

5. De lotione pedum 41

6. De institutione SS. Sacramenti 52

7. Vt Christus inter cœnam proditionem sui aperuerit 63

8. Vt inter cœnam de scandalo Discipulorum, & Petri negatione prædixerit 72

9. De

9. De Christi itinere ad hortū Gethsemani. 81
10. De oratione Christi in horto 89
11. De Christi agonia in horto 97
12. De proditione Christi per Iudam. 104
13. De captiuitate Christi 112
14. De Christi ad Annam deductione 121
15. Quomodo Christus ab Anna missus sit ad Caipham. 130
16 Quomodo Christum Caiphas adiurauerit, vt diceret: An ipse esset Christus 135
17. De ijs, quæ Christus in domo Caiphæ passus est 144
18. Quomodo Petrus ter Christum uegauerit 151
19. De compassione, & dolore, quem pijssima Iesu Mater, nocte, qua captus est, sensit 159
20. Quomodo Christus mortis reus pronunciatus, Pilato sit traditus 166

INDEX.

21. De Christi apud Pilatum accusatione 175
22. Quomodo Pilatus Christum interrogauerit 183
23. Quomodo Christum Pilatus Herodi transmiserit 191
24. Quomodo Christus ab Herode irrisus sit 196
25. Quomodo Barrabam Christo Iudæi prætulerint. 203
26. De flagellatione Christi 213
27. De Christi coronatione 221
28. De varia illusione apud Pilatum 227
29. De Christi apud populum productione 233
30. De iterata petitione mortis Christi 239
31. De Christi condemnatione 247
22. De Christi baiulatione crucis 254
33. Quomodo Dominus mulieres lamentantes sit allocutus 260
34. Quomodo Simon Christum in portanda cruce adiuuerit 268

35. *Quomodo Christo vinum felle mixtum pro potione datum sit* 275
36. *De crucifixione Christi* 279
37. *De duobus latronibus cũ Christo crucifixis* 291
38. *De Titulo cruci imposito* 296
39. *De vestium Christi diuisione* 304
40. *De iniurijs & irrisione Christi in cruce* 310
41. *De primo verbo in cruce prolato à Christo: Pater dimitte illis* 319
42. *De secundo verbo, quod alteri latronum dixit Christus* 330
43. *De tertio Christi verbo ad Matrem* 339
44. *De quarto verbo Christi in cruce: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* 349
45. *De quinto Christi verbo in cruce: Sitio* 357
46. *De sexto Christi verbo in cruce: Consummatum est* 363
47. *De morte Christi, deq; extremo verbo, quod moriẽs locutꝰ est* 370

48. De rebus, quæ post mortem Saluatoris secutæ sunt 378
49. De ictu Lanceæ Christo Domino post mortem inflicto 385
50. De Christi à cruce depositione 393
51. De sepultura Christi D.N. 401
52. De custodia sepulchri Dominici 409
53. De Christi descensu ad limbum, ad liberandos SS. Patres 415
54. De gloriosa resurrectione Christi D.N. 422
2. pars eiusdem meditationis, quomodo Dominus sanctissimæ Matri apparuerit 430
55. Quomodo Christus Dominus Mariæ Magdalenæ apparuerit 438
56. Quomodo Christus apparuerit duobus Discipulis euntibus in Emaus 453
57. Quomodo Christus apparuerit omnibus Discipulis simul congregatis 469

58. *Quomodo Christus apparuerit Discipulis præsente B. Thoma* 482
59. *Quomodo Dominus apparuerit Discipulis dum piscarentur* 492
60. *Quomodo Dominus apparuerit Discipulis in monte Galileæ* 504
61. *De gloriosa Christi Domini Ascessione* 517
62. *Demissione Spiritus sancti* 530

Soc.tis Jesu Paderb.

Laus Deo Virginique Matri.






Th 3
4474